



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XX. De Feudis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Deo & sanctis pro remedio animarum suarum obtulerunt & consecrarunt ab hoc ecclesie servitio commutationis commercio abstracti, in servitum secularem seu laicorum redigantur. Pro ut hæc statuuntur & dicuntur, c. *mancipia. c. injustum. h. t. & can. injustum, caus. 12. quest. 2.* Nihilominus tamen etiam servos ecclesie fugitivos, sicut SS. Canones permittunt distrahi & vendi (intellige, dum extra fugam sunt; secus enim est, quamdiu in fuga sunt, ut Gl. in c. 4. h. t. v. *fugitivos.*) etiam secularibus, ut constat ex *cit. c. 4. & cit. can. cum injustum*; ita etiam à potiore permittunt eos permutari cum servis seclariis. De cætero dixi: modò permutatio illa bonorum ecclesiasticorum fiat ex rationabili causa: qualis in specie assignatur & statuitur in c. *si Princeps. h. t.* desumpto ex *auth. de non alien. aut permut. reb. eccles. col. 2. §. ut autem lex.* Si Princeps ex rationabili causa petat & offerat talem commutationem bonorum suorum, dum ea sunt æqualis valoris, cum bonis ecclesie; ob necessitatem aut majorem commoditatem suam, volens v. gr. ampliare palatium suum, construere hortum, ædificare munitionem seu castrum ad versus hostium incursum in loco, ubi ecclesia habet agros suos vel prædium; tunc enim licita est talis permutatio. Pirh. *h. t. num. 6.* Muller. *ad Struv. h. t. thes. 19. lit. e. citatis Paris. vol. 4. conf. 141. num. 29.* Vivian. *in ration. juris Pontif. h. t. c. 1.* Afflict. *decis. 17.* idque, etiam si ecclesia exinde non perciperet majorem utilitatem, modò tamen

etiam inde non incurrat notabile damnum; adhibitis tamen & in hoc casu juris solemnitatibus, ut Pirh. *h. t. num. 6.* cum Jo. And. *h. t. num. 3.* item Muller. *loc. cit.* contra Host. Cujus dispositionis hæc est ratio, quòd merita Principis erga ecclesiam, & honor ipsi debitus exigere videatur, ut justæ ejus petitioni satisfiat, quantum sine ecclesie incommodo seu damno fieri potest. Quamvis autem aliàs in jure nomine Principis veniat solus Imperator & Rex, aliisvè, nullum superiorem agnoscens, posse tamen hoc extendi ad alios magnos ecclesie patronos & fundatores; eò quòd, cum talis permutatio non sit coacta, sed petita ex rationabili causa, nec cedat in damnum ecclesie, fiatque propter honorem patroni valde potentis, & ad majorem ejus benevolentiam conciliandam, hoc ipso sit utilis ecclesie, censet cum Laym. *loc. cit. thes. 75.* Pirh. *h. t. num. 7.* quamvis, ut iidem, in hoc casu non sit adhuc sufficiens causa vendendi, nisi Princeps, cui sit venditio, se obliget, quòd pretio constituto aliam rem ecclesie utilioiorem, vel saltem æquè commodam, velit comparare juxta c. *sine exceptione, caus. 12. quest. 2.*

Quest. 393. Quid dicendum de permutatione beneficiorum ecclesiasticorum?

R Esp. Hanc materiam exactè à me tractatam in *Foro benefic. part. 3. à quest. 815. ad qu. 876.* inclusivè, quò lectorem remitto.

TITULUS XX.

De Feudis.

CAPUT PRIMUM.

De

Feudorum Natura, Varietate, Acquisitione, deque Rebus, quæ dari, Personis quæ dare, & quibus dari possit Feudum.

Quest. 394. Quid sit feudum?

R Esp. Feudum (desumpto rectiùs hoc nomine à fide & fidelitate, quæ vassallus obstringitur domino directo & origine ejus probabiliùs deducta à Longobardis Italiam diu occupantibus, ut videre est apud Fachin. *l. 7. c. 1.* Harprecht. *ad Clar. §. feudum. quest. 1. num. 11.* & alios,) acceptum pro ipso contractu feudali strictè tali, (dum aliàs interdum sumitur pro jure, quod ex tali contractu vassallo nascitur, aut pro ipsa re, quæ in feudum datur,) sic bene & explicatiùs definitur apud Clarum, *l. 4. sentent. §. feudum. quest. 4.* Zafium *in epitom. feudal. p. 1. num. 3.* Rosenth. *tr. de feud. c. 1. conclus. 3.* Less. *l. 2. de just. c. 24. n. 5.* quòd sit concessio benevola & perpetua rei immobilis vel ei æquivalentis, quò ad translationem domini utilitatis, proprietate illius retenta, sub onere fidelitatis & exhibitionis obsequii & servitii personalis.

2. Dicitur primò: *concessio*, potiùs quam donatio; ubi enim dominus uteretur verbo *donamus* vel simili importante liberam donationem, censenda erit donatio, & non feudalis concessio. Clar. *loc. cit. quest. 17.* cum Oldrad. *conf. 159. n. 3. & c.* cum à proprietate verborum non sit recedendum, & beneficia Principum amplianda; benevola tamen seu liberalis & gratuita, dum *l. 2. feudor. tit. 25.* & alibi passim vocatur beneficium; & quia sit plerumque gratis; dum neque pretio acquiritur, neque etiam pro eo obtento quicquàm solvitur per modum canonis in recognitionem domini directi, uti contingit in emphyteusi; à qua proinde per hoc posterius distinguitur, uti & per prius à feudo, quòd dicitur emptitium, de quo, *l. 1. feud. tit. 20.* etsi per hoc rationem beneficii non omnino amittat, ut Rosenth. *loc. cit. num. 2. & 3.* Haunold. *de f. & f. Tom. 3. tr. 9. num. 585.*

3. Dicitur secundò: *perpetua*: dum enim constituantur quandoque feuda ad certum tempus aut ad vitam illius, cui conceduntur, qua expirante extin-

extin-

extinguuntur, & hinc personalia dicuntur; de quorum aliquibus, *l. 1. feud. tit. 2.* in hoc à natura feudi propriè talis degenerant. *Zaf. loc. cit. p. 2. à num. 4. Pirh. h. t. num. 1.*

4. Dicitur tertio: *rei immobilis*: res siquidem mobiles per se & separatè ab immobilibus. V. g. pecunia & res aliæ fungibiles in feudum dari nequeunt, pro ut sumitur à sensu contrario ex *l. 2. feud. tit. 1. §. sciendum*; ex ea etiã ratione, quòd in iis dominium directum ab utili separari nequit, dum vel usu consumuntur, si res sint fungibiles, & vel sic proprietates seu dominia directum rei, quòd penes dominum remanere debet, extinguitur; vel, si servari possunt, nullam præstant utilitatem; ita *Pirh. h. t. num. 1. cum Zafio loc. cit. p. 4. num. 21.* Nomine verò rerum immobilium veniunt agri, fundi, sylvæ, stagna, fluvii, prædia, castra, civitates, territoria, Ducatus, Comitatus &c. item fundo coherentia, ut arbores, ædificia, quin & fructus pendentes, *cit. §. sciendum. juncta Gl. ibid. v. coherentibus*; utpote quæ pars fundi censentur, *l. fructus. ff. de rei vindic.* Item jura incorporea, ut sunt jurisdictio, servitutes, jus pascendi, venandi, lignandi, decimandi, &c. quæ immobilibus annumerantur. *Arg. l. fin. §. fin. C. de præscript. long. tempor.* & hinc in feudum dari possunt, ut *Rofenth. loc. cit. c. 4. conclus. 3. 4. 5. Pirh. loc. cit. Muller. in Struv. ff. de divis. rer. th. 86. lit. v. citans Schrad. de feud. p. 3. c. 2. num. 55. & c. 4. num. 3.* Idque five veniant per se, five ut adherentia prædio, castro, &c. idem est de censibus & redditibus annuis, utpote qui & ipsi inter immobilia à jure censentur, *clém. exivi. de V. S.* & tanquam iis æquivalentia in feudum dari possunt. *Zaf. loc. cit. num. 9. Pirh. loc. cit.*

5. Dicitur quarto: *quò ad translationem domini utilis*; intellige, in feudatarium, qui & vassallus dicitur, dominio proprietatis apud dominium directum, seu concedentem rem in feudum, permanente: in quo convenit cum emphyteusi; differt ab usufructu, vi cujus nullum dominium transfertur in usufructuarium, sed solum commoditas percipiendi fructus. His non obstante, quòd dicitur, *l. 2. feud. tit. 23. in fine*; cum ibi usufructus non accipiatur strictè pro servitute personali, quæ morte usufructuarii extinguitur, sed pro ipso jure utilitatis percipiendæ, quòd etiã ad hæredes transit.

6. Dicitur denique: *sub onere fidelitatis & obsequii seu servitii*: in quo præcipuè differt ab emphyteusi, utpote vi cujus præcise neque fidelitatem, neque obsequium ullum præter solutionem canonis debet domino. Estque hæc præcipua feudatarii obligatio, ut sit domino directo fidelis, nihil contra eum honoremque illius machinando; sed potius eum defendendo. Estque hæc obligatio fidelitatis de substantia feudi, ita, ut etiã nullatenus valeat pactum, quo expressè ea remittitur, & convenitur, ne pro feudo ad exhibendam domino fidelitatem obligetur. *Wiestn. h. t. num. 5. citans Schrad. de feud. p. 2. c. 2. à n. 25.* Quidquid sit de eo, an juramentum desuper præstandum ei remitti possit. Præstandum insuper eidem servitium & obsequium aliquòd, etiamsi nulla de eo præstando mentio facta in investitura; cum sit ex illis, quæ naturaliter insunt, adeoque, si sint omiſsa, subintelligantur tamen, & pro expressis habeantur. *Arg. l. 5. ff. de reb. cred. quod in quo consistat dicitur infra,*) ita ut, si ab omni obsequio absolvatur, (pro ut fieri posse ex conventionione

ait *Wiestn. citato l. 2. feud. tit. 104. Schrad. p. 6. c. 6. num. 37. Rofenth. c. 8. concl. 8. num. 2.*) & sit, ut vocant feudum francum, non sit feudum propriè tale, ut communiter AA. testè *Reiffenst. h. t. num. 19.*

Quæst. 395. Quotuplex sit feudum?

1. **R**esp. primò: Feudum strictè & propriè tale, seu retinens rationem veram feudi quòd ad utrumque divisionis membrum & omnia substantialia jam explicata, nullo statuto aut consuetudine immutata, quòd & rectum dicitur, dividitur primò in feudum ecclesiasticum & sæculare. In qua divisione explicanda non conveniunt AA. dum aliqui asserunt, feudum ecclesiasticum esse, quòd datur ab ecclesia, five laico five ecclesiastico. Item quòd datur ecclesiæ, five à laico, five à clerico. Sæculare, quòd à laico conceditur laico; pro qua sententia citatur *Schrad. de feud. p. 2. c. 3. n. 17.* & à *Pirh. Azor. & Rofenth.* Alii sentiunt, ad dignoscendum, utrum sit feudum ecclesiasticum, an sæculare, attendendam primam causam feudi; ita ut, si ecclesia teneat aliquid in feudum primitus sibi concessum à laico, illud sit laicum, maneatque tale, si ecclesia postmodum concedat alteri etiã clerico, & vassallus tunc quidem dicitur ecclesiæ, non tamen ecclesiasticus, sed sæcularis, ecclesiæque seu ejus Prælatus cognoscat de tali feudo, non ut ecclesia vel ut Prælatus ecclesiæ, sed simpliciter ut domina vel dominus feudi, sitque jurisdictio ecclesiæ in vassallum ejusque subditos non ecclesiastica, sed sæcularis. È contra, si feudum originetur ab ecclesia, concessum ab ea etiã laico, feudum erit ecclesiasticum, & jurisdictio etiã erit ecclesiastica, & si appellandum, appellandum ad Judicem superiorem ecclesiasticum; ita *Pirh. h. t. n. 3. §. dividitur tertio.* citans pro hac sententia *Fagn. in c. utrumque. de for. compet. num. 29.* & *Abb. Rectius mihi sentire videntur alii, illud feudum solum habendum pro ecclesiastico, quòd ab ecclesia seu ejus Prælate de bonis ecclesiasticis seu ad ecclesiam monasteriumve spectantibus; illud pro sæculari, quòd à Principe aliove domino sæculari, aut etiã à Prælate ecclesiastico ex bonis patrimonialibus & sæcularibus constituitur; ita ut ad dignoscendum, num feudum sit ecclesiasticum, an sæculare, non tam spectetur persona concedentis feudum, quàm res ipsa seu bona in feudum data; num illa sint sæcularia, an ecclesiastica. Ita absolute tenent, *Wiestn. h. t. n. 10.* citans pro se *Fagn. & Rofenth. c. 2. concl. 5. Engels h. t. num. 9.* item *Reiffenst. h. t. num. 15.* citans *Bocer. de qual. & differ. feudor. c. 2. Vultej. l. 1. c. 8. num. 19.* & *Azor. l. 10. c. 2.* Illud tamen bene notat *Reiffenst. num. 17.* quòd etsi res sæcularis concessa ecclesiæ sit feudum sæculare; ubi tamen ob delictum vel infidelitatem Prælati amittitur, & ad dominum directum redit, quamdiu vivit Prælatus delinquens, eo tamen mortuo redeat ad ecclesiam; quia delictum Prælati non debet nocere ecclesiæ; pro quo citat textum *l. 2. feud. tit. 40.**

2. Dividitur secundo in novum & antiquum. Novum est, quòd initium ducit à persona vassalli, ad quem non vi successione, seu nullis aliis intermediis, sed primò & immediatè ab ipso domino conceditur, aut præscriptione acquiritur. Antiquum, quòd jam priùs ab aliquo ascendente acquiritur & possessum per successione ad aliquem pervenit. *Clarus §. feudum, quæst. 8. num. 1. Zaf. in epit. feud. p. 2. num. 6. Pirh. h. t. n. 3. Wiestn.*

num.

num. 15. Engels *h. tit. num. 7.* Reiffenst. *num. 11.* Antiquum alicui subdistinguitur in proprie antiquum seu avitum, quod ab aliquo ascendentium ultra quartum gradum v.g. à tritavo jam acquisitum; & paternum, quod ab aliquo ascendentium intra, non ultra quartum gradum, puta, à patre, avo, proavo, abavo primitus obtentum. Verùm hæc distinctio hodierno jure non attenditur, dum feudum avitum & paternum ad effectus juris ferè promiscuè & pro eodem sumuntur, ut AA. citati aliique recentiores, ut videre est, *l. 2. feud. tit. 11. §. his verò.* Ad quæstionem, an dum vasallus incidit in privationem feudi, quod erat antiquum, & dein ei remissâ culpâ à domino, restituitur, feudum remaneat antiquum, an verò sit novum, bene respondet Clar. *§. feudum. quæst. 8. num. 6.* remansurum antiquum, nisi sententia privationis jam lata, vel etiam culpa vasalli esset talis, ob quam vasallus ipso jure amisisset feudum. Per hoc verò, quod habens feudum antiquum, accipiat investituram tanquam de novo, etsi respectu domini & vasalli censeretur possit, feudum mutasse naturam, & evasisse novum, non tamen respectu agnatorum aliorumve primitus in investitura vosatorum, quibus jam jus quæsitum, cui per talem novam investituram præjudicari non potuit. Ita cum Baldo, Clarus, *loc. cit. quæst. 8. num. 5.* vide etiam Gail. *l. 2. obs. 49. num. 9.* ubi, quod talis mutatio feudi antiqui in novum fieri possit, accedente consensu agnatorum. Si tamen Princeps alicuius habens absolute disponere de feudo, investiendo aliquem de feudo in investitura diceret, se conferre illud jure feudi antiqui, quale non erat, censendum jam esse tale in vi talis absolute voluntatis Principis, citatis pluribus tanquam veriore & communiorem tenet Clar. *loc. cit. num. 2.* quem vide; vide tamen etiam Gail. *loc. cit. num. 1.* De cætero notabilis in pluribus in ordine ad diversos effectus est differentia inter feudum novum & antiquum; dum primò in feudo novo succedunt soli descendentes, filii, nepotes, pronepotes, &c. quibus deficientibus, feudum ad collaterales non transit, sed ad dominum directum revertitur. Gail. *l. 2. obs. 50. n. 2.* Wiestn. *loc. cit.* Reiffenst. *num. 13.* Arg. *l. 1. feud. tit. 8. §. filia.* In feudo verò antiquo, vasallo sine liberis & ab his directè descendantibus, succedunt etiam fratres aliique collaterales, modò à primo acquirente descendant. Secundò, vasallo renunciantem, vel sine consensu domini alienante feudum novum, illud revertitur ad dominum; si verò sit antiquum, devolvitur ad proximos agnatos; eò quod his ex antiquis investituris in tali feudo sit jus quæsitum, cui vasallus ille renunciavit aut alienans non potuit præjudicare. Wiestn. *loc. cit.* citatis *l. 1. tit. 8. §. 1.* & Haunold. *Tom. 3. de 7. §. 7. tit. 9. num. 596. & 599.* Tertio, quod patre intra annum, quo feudi renovationem petere debuisset, mortuo, filius in feudo novo succedens non habeat integrum annum, sed tantum residuum illud anni, quod patri defuncto supererat; succedenti verò in feudo aliquo, vasallo ultimo mortuo intra annum, concedatur integer annus ad petendam dictam renovationem; eò quod in feudo novo filius representet personam patris; in feudo autem antiquo successor, non ex persona defuncti, sed jure proprio per primum acquirentem sibi competentem veniat. Reiffenst. *num. 14.* citatis Gail. *l. 2. obs. 50. num. 10.* & Zafio.

3. Tertio dividitur feudum in hæreditarium, gentilitium & mixtum ex utroque. Hæreditarium

germanice Erb-*Lehn.* Dicitur, quod constitutum est alicui simpliciter & absolute pro eo & omnibus seu quibuscunque ejus hæredibus; adeoque ad succedendum in eo sufficit esse hæredem, sive ab intestato, sive ex testamento, sive sit agnatus, sive extraneus, sive mas, sive femina. Clar. *loc. cit. quæst. 9. num. 2.* Fachin. *l. 7. c. 6.* Pirh. *h. t. n. 3.* Wiestn. *num. 16.* Reiffenst. *num. 24.* Ubi tamen in investitura ommitteretur *ad quibuscunque*, & diceretur simpliciter: concedo feudum pro te & hæredibus: non censeretur feudum hæreditarium, sed gentilitium; adeoque in eo non succedere faminas, multoque minù extraneos, volunt Clar. *quæst. 83. num. 2.* dicens communem & citans pro ea Paris. *conf. 2. num. 23. l. 1.* Socin. Jun. *conf. 108. num. 6. l. 2.* & plures alios. Item Fachin. *loc. cit. c. 3.* Bald. Decius. Gail. Pistor. quos citat & sequitur Reiffenst. *num. 25.* eò quod licet *ad hæres* aliàs significet universaliter & promiscuè quemcunque hæredem. Arg. *pr. Inst. de hæred. qual. & different.* in materia tamen feudali per specialem consuetudinem hoc nomine simpliciter prolato veniant soli masculi ex legitimo matrimonio à primo feudum acquirente descendentes juxta *l. 1. feud. tit. 8. & l. 2. tit. 23. & 50.* Ad feudum hæreditarium nihilominus refert Clar. *quæst. 9. num. 6.* citatis aliis illud, quod simpliciter concessum, nulla facta mentione, nec filiorum, nec hæredum, atque illud non esse personale, sed transire ad hæredes, eos scilicet, qui ex natura feudi succedunt, (quales non sunt hæredes extranei,) adeoque se habere, ac si expressè concessum pro se & filiis suis masculis tantum. Et hæc ex ea ratione, quod beneficia Principum regulariter sint interpretanda latissime, ac præsertim, ubi talis interpretatio congruit naturæ rerum, de quibus agitur, uti contingit in præsentibus, dum ea congruit naturæ feudi propriissimè talis. Idem tradit Gail. *l. 2. obs. 154. num. 8.* contrarium dicente Myning. *cent. 4. obs. 2.* in dubio tamen, ubi non apparet, quomodo sonet investitura, aut eâ deperditâ, feudum non præsumi hæreditarium, sed ex pacto & providentia. Feudum gentilitium (quod & dicitur familiare & ex pacto & providentia, germanicè *Stammens-Lehn*;) illud est, quod concessum alicui pro se & suis filiis seu liberis, nulla facta mentione hæredum. Ad quod obtinendum sufficit esse filium vel descendantem à primo acquirente, etsi hæres non sit; quia ordinariè concedatur in favorem & conservationem familiæ. In eo non succedere faminas esseque propriissimè feudum, & tale semper præsumi, ubi aliud ex investitura vel speciali pacto non indicatur, Arg. *l. 2. feud. tit. 2.* ait Reiffenst. *h. t. num. 22.* citatis Boccr. *de qual. & differ. feud. c. 5. num. 36.* & Vultej. *de feud. c. 8. num. 32.* Mixtum dicitur, quod neque simpliciter hæreditarium, neque gentilitium est, sed participat aliquid ex utroque, concessum nimirum alicui pro se & filiis & hæredibus suis; adeoque requiritur, ut in eo succedens sit simul filius & hæres, sive ut in eo jus sanguinis seu agnationis & jus hæreditarium concurrant. Clar. *loc. cit. qu. 9. num. 4.* Pirh. *cit. num. 3.* Wiestn. *num. 10.* Engels *h. t. num. 8.* quamvis, ut ait Pirh. Rosenth. *c. 2. num. 49.* feudum mixtum non agnoscat

4. Dividitur quartò in masculinum & femininum. Masculinum, quod ad solos mares transit. Femininum, germanicè *Kunckel-Lehn.* quod non pariformiter ab omnibus explicatur. Alii enim volunt illud esse, in quo ex speciali institutione & pacto etiam famina succedere possunt, (unde &

pro-

promissum appellari solet,) saltem masculis deficientibus, ita ut, quamdiu masculus superstes est, nulla femina, etsi propinquior, admittatur juxta expressum textum, *l. 1. feud. tit. 8. § 1. 2. tit. 30.* Alii requirunt ad feudum femininum propriè tale, ut originem trahat à femina, seu sit primitus collatum feminae; eò quòd dominus hoc ipso videatur feminas ad succedendum habilitasse, etsi in investitura nulla femininarum facta mentio; & ita cum communiore sentiunt Schrad. *de feud. p. 2. c. 4. num. 11.* Rosenth. *c. 7. concl. 25. num. 2.* Wiestn. *h. t. num. 14.* Quòd feudum sic explicatum, etsi dicatur femininum propriè ad distinctionem priore modo explicati, dici tamen tam hoc quàm illud feudum impropiè; cum natura feudi propriè dicti sit, in quo soli masculi succedunt, asserit Reiffenst. *num. 28.* ubi etiam, quòd in feudo femineo tam priori quàm posteriori modo explicato non succedant feminae, nisi masculis deficientibus juxta citatos textus.

5. Dividitur quintò in nobile & ignobile seu plebeium. Nobile est, quod accipientem nobilitatem ex dantis potestate & voluntate, dum nimirum conferens habet potestatem & voluntatem per hoc nobilitandi, & hanc in investitura exprimit. Vel etiam, ut Wiestn. *h. t. num. 11.* eum, qui jam erat nobilis, nobilem ostendit, dum tale feudum non nisi nobilibus conferri solet. Ignobile est, quod ex defectu potestatis vel voluntatis in concedente nullam nobilitatem confert, aut etiam significat, dum aliis etiam plebeis confertur. Wiestn. *loc. cit.* citans Rosenth. *c. 2. concl. 2.* Reiffenst. *num. 18.* citans Vultej. *de feud. c. 8. à num. 9.* Arg. *l. 2. feud. tit. 10. § 53.* Subdividitur feudum nobile in regale, germanicè dictum *Sahnen-Wehn*; eò quòd investitura mediante vexillo tradatur; estque illud, quod ab Imperatore aliove simili Principe non recognoscente superiorem cum jure regalium, seu omni jure, quo utitur talis Princeps in suo regno, exceptis solùm iis, quæ in signum supræmæ potestatis sunt reservata, confertur. Talia feuda in Imperio Romano sunt Electoratus, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, &c. Et in non regale, quale est, quod jure dicta regalia annexa non habet, quo quidem persona illud recipiens nobilitatur, absque tamen eo, quòd jura regalia simul ei conferantur. Ita ferè Vultej. *loc. cit. c. 8. num. 10.* Schrad. *loc. cit. c. 3. num. 3.* Haunold. *loc. cit. tr. 9. num. 608.* Engels *h. t. num. 10.* Wiestn. *num. 12.* Reiffenst. *num. 19.* Arg. *l. 1. feud. tit. 14.*

6. Dividitur sextò in ligium & non ligium. Ligium à ligando seu liga, hoc est, confederatione sic dictum, sic melius explicari videtur, quod à supræmo aliquo Principe eo pacto conceditur, ut vassallus juratò sibi fidelitatem contra quemcumque alium, seu nemine excepto (nisi fortè summo Pontifice, utpote contra quem nullum fidelitatis juramentum fieri possit, ut Reiffenst. *h. t. num. 20.*) promittat, ac insuper suam personam, & consequenter omnia sua bona, etiam non feudalia, seu allodialia ei submittat. Ita expressè Clar. *§. feudum. quest. 11. num. 1.* citans Curtium Jun. *de feud. p. 1. quest. 8. vers. quindò ex hoc.* & ex eo Wiestn. *h. t. num. 13.* citans insuper Rosenth. *c. 2. conclus. 3. à num. 2.* Unde jam sequitur, ut idem Clar. citans pro hoc Gl. communiter, ut ait, receptam in *Clem. pastoralis. de re judicata. v. homo ligus.* non posse aliquem esse ligium duorum do-

R. P. Lestr. Jur. Can. Lib. III,

minorum, seu habere feuda ligia à diversis dominis; cum impossibile sit duobus promittere fidelitatem contra quemcumque, etiam eum, à quo simile feudum habet; hoc ipso enim, quo promittit fidelitatem uni contra quemcumque, jam alteri promittere eam nequit. Feudum verò non ligium, vi cujus vassallus jurat simpliciter domino fidelitatem non contra quemcumque, etiam eum, à quo simile feudum aliud habet, aut habiturus est, sed eo excepto, ita ut quis utriusque fidelitatem præstare possit, & sic simul habere plura feuda non ligia. Wiestn. Reiffenst. *LL. cit. juxta l. 2. feud. tit. 7. in pr. tit. 28. § 55. in fine.*

7. Resp. secundo: Feudum divisione minùs strictè tali, utpote in qua unum ejus membrum deficit à ratione feudi propriè talis, primò aliud dicitur francum seu liberum, dum vassallus ad nullum servitium domino præstandum, sed ad solam fidelitatem obligatur. Quæta feuda, quæ etiam privatis civibus conceduntur, in Germania sunt frequentiora & pleraque teste Schrad. *c. 4. num. 8.* apud Wiestn. *num. 13.* aliud non francum, in quo saltem ad aliquod servitium obligatur, *l. 2. feud. tit. 23.* Secundo aliud est reale, quod cum primo acquirente non extinguitur, sed ad alios transit. Aliud personale, quod non transit ad alium, sed cum primo acquirente extinguitur; adeoque in eo deficit conditio ad naturam feudi propriè talis requisita. Azor. *l. 10. de feud. c. 2. quest. 5.* Reiffenst. *h. t. num. 20.* Personale rursus aliud de Camera, dum aliquid ex arario vel fisco domini directi conceditur alicui pro sustentatione ad vitam illius. Aliud dicitur de cavena, dum taliter conceditur alicui ad dies vitæ aliudve certum tempus ex cella, horreo penuario domini. Rosenth. *c. 7. conclus. 30.* De utroque hoc feudo fit mentio, *l. 2. feud. tit. 1.* Item aliud dicitur feudum guardiæ, quod datur alicui ad dies vitæ aliudve certum tempus sub onere, ut castrum, domum, territorium custodiat & tueri juvet. Aliud Gastaldiæ, quod datur alicui, ut domum aut rem domini gubernet, administret, procuret. De utroque fit mentio, *l. 1. tit. 2.* Est & aliud feudum personale dictum soldatæ, quod est certa quantitas annua pecuniæ, vini vel frumenti data sub obligatione fidelitatis & servitorum, cujus præstatio tam per mortem vassalli quam accipientis extinguitur. Tertio feudum aliud est emptitium, quod pretio comparatur, quod fieri quotidie, dum castra passim emuntur cum mixto & mero imperio, cum Zasio *de feud. p. 12. vers. 3.* Baldo & communi aliorum, & tanquam notissima consuetudine receptum astruit Clar. *loc. cit. qu. 16.* & licet subdat Clar. non habere naturam propriè feudi: quia non est gratuitum, dicit tamen esse verum feudum regulandum secundum omnes leges & consuetudines feudorum cum Molin. *de consuetud. Paris. feud. §. 30. num. 110.* & juxta communem feudalistarum. Et in hoc feudo succedere feminas, etsi earum in investitura non sit facta mentio, affirmant Gail. Mynsing. & alii apud Reiffenst. *num. 34.* negant cum Rosenth. *in synopi feud. c. 7. conclus. 34.* alii. Verùm quia neutra harum sententiarum clarè deduci potest ex libris feudorum, standum in hoc consuetudini locorum particularium, dum jus feudale potissimum

ex usu & moribus compilatum, asserit Reiffenst. *loc. cit.* Aliud est gratuitum. Plura feuda alia usitata specialiter in Bavaria enumerat Reiffenst. *num. 35. & seq.*

Quest. 396. Quenam res dari possint in feudum?

1. **R**esp. primò: Res sacre religiose & spirituales dari & accipi non possunt in feudum per se & directè; tum quia sunt extra commercium humanum, Arg. *L. pacta. §. fin. ff. de contrab. emp.* Pirh. *h. t. num. 4.* Reiffenst. *num. 54.* tum quia simoniacum est quodcumque servitium aut onus temporale pro spirituali promittere. Sic itaque jus patronatus per se dari nequit in feudum, *c. cum secundum. c. ex literis. de jurepat.* Barbos. *ibid. num. 241.* cum communi. Sic jus decimandi primarium & proprium, hoc est jus percipiendi decimas ratione officii & ministerii ecclesiastici exhibiti, utpote merè spirituale, conferri in feudum nequit laico. Vide me *in foro benef. p. 1. qu. 473. num. 1.* Qualiter verò Papa jus illud percipiendi decimas separatim à titulo tali spirituali concedere in feudum perpetuum laico possit, aut etiam Episcopus aliusvè Prælatus ecclesiasticus ad tempus adhibitis juris solemnitatibus, vide apud me *loc. cit. quest. 474. num. 4. & 5.* Nil tamen vetat, quò minus res sacre & spirituales indirectè seu in consequentiam, pro ut nimirum annexæ rebus temporalibus. V. g. jus patronatus annexum castro unà cum illis dentur in feudum. Barbos. *loc. cit. num. 240.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 20. qu. 12.* Rosenth. *de feud. c. 4. conclus. 13.* Pirh. *loc. cit.* ubi etiam citato Rosenth. quòd ecclesia vel monasterium cum universitate v. gr. civitate, oppido dari possit in feudum.

2. **R**esp. secundò: Bona ecclesiastica seu spectantia ad ecclesiam & mensam Prælati dari possunt in feudum & quidem ea, quæ jam aliàs data fuerunt aut solita dari in feudum, dum mortuo vasallo sine masculis hæredibus redeunt ad ecclesiam (etiam non obstante juramento prædito de non alienandis rebus ecclesiæ, inconsulto Papa; cum tale juramentum referatur tantum ad bona, quorum dominium directum & utile est penes ecclesiam, & quæ nunquam fuerunt infeudata. Abb. *in c. 2. h. t. num. 2.* Rosenth. *c. 4. concl. 22.* Pirh. *h. t. num. 8.*) concedi possunt à Prælato sine consensu Capituli aliisque juris solemnitatibus. Clar. *§. feudum. quest. 13. n. 6.* Rosenth. *c. 4. concl. 21.* Pirh. *h. t. num. 6.* cum communi juxta *l. 1. feud. tit. 11.* eò quòd talis infeudatio non censetur nova infeudatio vel alienatio, sed potius antiquæ infeudationis & alienationis continuatio, ad quam jam solemnitates juris adhibita, decretumque utile esse ecclesiæ, ut talia bona dentur in feudum; ita Pirh. Quod num etiam extendendum ad decimas infeudatas prius laico, ac dein reversas ad ecclesiam; an verò hæc specialiter excipiantur, vide apud Wiestn. *h. t. num. 25.* Nisi tamen bona illa infeudari solita reversa ad ecclesiam fuerint ejus mensæ incorporata; tunc enim cessant esse feudalia; quia utile dominium consolidatur cum directo; adeoque sine consensu Capituli & superioris, imò & Papæ, si Prælatus juravit, se illo inconsulto non alienaturum res ecclesiæ, reinfeudari non possunt. Rosenth. *cit. c. 4. conclus. 33.* Pirh. *h. t. num. 9.* ut ait, cum communi. Vel nisi

status ecclesiæ esset mutatus, & jam non ut olim expediret eas dari in feudum. V. gr. quia ecclesiæ olim dives, modò inops facta; tunc enim non possent reinfeudari, sed ad ecclesiæ usum servanda, & ejus mensæ applicari debent. Arg. *c. 2. h. t.* Rosenth. *loc. cit. conclus. 35.* & cum eo Pirh. *loc. cit.* Vel nisi consuetudo ecclesiæ, aut conventio inter Prælatum & Capitulum talis est, ut reinfeudatio bonorum solitorum infeudari redeuntium ad ecclesiam non fiat sine consensu Capituli. Rosenth. *loc. cit. conclus. 22. num. 4.* Idemque est, ut idem *conclus. 21. num. 2.* si bona illa pertinent communiter ad ecclesiam & Prælatum. De cætero dum aperitur feudum Sede vacante, poterit Capitulum bona illa solita infeudari reinfeudare, si spectent communiter ad Prælatum & Capitulum. Arg. *c. unic. ne sede vac. in 6.* Pirh. *h. t. num. 12.* uti & ea reinfeudare potest, Sede plena sine consensu Prælati, si separata & divisa à mensa Prælati spectent ad Capitulum. Redoan. *de reb. eccles. non alien. quest. 60. num. 5.* Rosenth. *c. 4. concl. 26. num. 2.* Pirh. *loc. cit.* nisi tamen reversa incorporaverit suæ mensæ juxta prædictam limitationem. Spectantia verò propriè ad solius Prælati mensam Sede vacante reversa reinfeudare nequit, sed id relinquendum Prælato secuturo. Pirh. *loc. cit.* quem vide. Alia verò bona primò acquisita ex redditibus etiam ecclesiæ, aut nunquam adhuc data in feudum non nisi cum consensu Capituli aliisque juris solemnitatibus in feudum dari nequeunt. Patet ex *l. 1. feud. tit. 6. Zalus p. 5. num. 13.* Rosenth. *c. 4. conclus. 15. num. 1.* Laym. *diss. de reb. eccles. alien. §. 1. de feud. th. 92.* Pirh. *h. t. num. 5.* cum communi; ex ea ratione, quòd concessio feudi habeat rationem alienationis, & quidem magis quam emphyteusis, adeoque ea Prælatis difficiliter permittitur. Tum quia feudum magis ad naturam beneficii & donationis accedit; donatio autem rerum ecclesiasticarum specialiter Prælatis interdicitur ac denique, quia feudum, cum regulariter in perpetuum concedatur, difficilius ac tardius redit ad ecclesiam quam emphyteusis; adeoque potius hæc illas solemnitates requirere videtur. Quin etiam in casu, quo res ecclesiæ data ea conditione, ut non alienentur, ne quidem adhibitis illis solemnitatibus dari possunt in feudum. Rosenth. *loc. cit. concl. 19.* Pirh. *h. t. num. 6. in fine.* Excipiuntur nihilominus res modicæ ecclesiæ, ut prædiolum, terrula, cum talia etiam aliter alienari possint à Prælatis sine juris solemnitatibus. Rosenth. *loc. cit. conclus. 20.* Pirh. *loc. cit.* juxta *can. terrulas 12. quest. 2.* Porrò quandomam res dicatur solita dari in feudum in ordine, ut reinfeudari possit, controvertitur inter AA. aliqui cum Abb. *in c. ut super. num. 11.* & Alex. *l. 2. conf. 188. num. 29.* censent sufficere unam solennem infeudationem fuisse factam absque eo, quòd multum temporis ab ea facta lapsum sit; & hanc sententiam cum Everard. *vol. 1. conf. 19. num. 16.* & aliis sectatur & stabilit. Wiestn. *h. t. n. 29.* dum constat de tali infeudatione semel facta. Alii præter factam semel infeudationem requirunt tempus ad consuetudinem inducendam necessarium, puta, 30. vel 40. annorum. Quam sententiam procedere ait Wiestn. dum de facta semel infeudatione non ita constat, sed dubium est, eò quòd libera infeudationis permissio fundetur in consuetudine. Alii denique cum Claro *§. emphyteusis. quest.*

quæst. 13. num. 4. Balbo de præscript. p. 5. qu. 20. & aliis præter lapsum 40. annorum requirunt, ut intra eundem saltem bis diversis vicibus facta fuerit infeudatio. Similiter quando res per apertionem feudi reversa ad ecclesiam censeatur ejusdem mensæ incorporatæ, in ordine ut reinfeudari nequeat, controvertunt AA. de quo dictum alibi, & videri potest Wiestn. h. t. à num. 35.

3. Resp. tertio: Non tantum res allodiales, sed etiam feudales, seu jam actu infeudatæ concedi alteri possunt, seu subinfeudari à possidente feudum. Laym. loc. cit. Rosenth. loc. cit. concl. 15. num. 5. Pirh. h. t. num. 5. in fine; & quidem sine consensu domini directi, ut cum Gl. communiter recepta in c. qua in ecclesiarum. de consuet. v. alienandi feudum. Gozadin. cons. 62. num. 5. Curt. Jun. de feud. dicens communem. Zaf. de feud. 9. part. vers. 11. fallit, quos citat & sequitur Clar. §. feudum. quæst. 32. num. 1. certumque id est de feudo seculari. De feudo ecclesiastico idem dicit Jacob. de Belvisio in c. 1. qui feud. dare poss. esse que magis communem cum Socin. cons. 66. post num. 3. & Zafio loc. cit. tenet Clar. loc. cit. num. 2. dicens non videri allegari posse probabilem rationem diversitatis hoc in puncto inter ecclesiam & privatum. Quamvis dum hæc subinfeudatio fit de bonis ecclesiæ, quæ illa habet ab aliis in feudum, requirit solennitates juris. Pirh. loc. cit. De cætero tamen in decimis, quas ab ecclesia habet laicus, ab eodem subinfeudari alium laicum, etiam accedente autoritate & consensu Episcopi, sentit communiter AA. cum Abbate in c. prohibemus de decimis. num. 4. asserit Clar. loc. cit. num. 3. ea assignata ratione disparitatis quod ad alia feuda ecclesiastica, quæ habita ab ecclesia laici infeudare possunt aliis laicis: Quod laici retinere non possunt decimas sine periculo animarum, sicut res alias ab ecclesia acceptas retinere possunt; & hinc ecclesia conetur omni studio eripere ex manibus eorum decimas; cui tamen bene dicit adversari, quod docuit quæst. 13. nimirum, quod ecclesia reversas ad se decimas rursus concedere possit laicis, si eæ solita aliàs ab ea infeudare laicis; pro quo citat plures.

Quæst. 397. Quinam feudi recipiendi & habendi capaces sint?

Resp. Omnes, qui nominatim ab eo recipiendo non prohibentur, juxta quod dicitur l. 3. feud. tit. 3. personam investituram accipientis non distinguimus. Proinde investiri seu infeudari poterit etiam servus, ut expressè additur loc. cit. Item famina; etsi enim in feudo propriissimè tali succedere nequeat, concedi tamen absolute ei posse feuda, constat ex l. 2. feud. tit. 23. §. fin. c. tit. 30. Item feudum ab inferiore habere potest superior. Arg. l. 2. feud. tit. 3. c. l. 14. ff. de juridict. quamvis superior, præsertim dum est ecclesiasticus, ad servitia ratione feudi præstanda subvasallum constituere possit & solet, ut Reiffent. h. t. n. 51. cum Schrad. de feud. p. 4. c. 3. attestans de praxi. Item minorennis & pupillus, etiam asque tutoris & curatoris autoritate. Arg. cit. l. 2. tit. 3. & princ. Inst. de author. tutor. dum ibi dicitur, quod pupillis liceat facere conditionem suam meliorem etiam sine autoritate tutoris, non verò deterior. Cum tamen etiam discrimine inter pupillum & minorem, quod pupillus accipiens feudum sine autoritate tutoris percipiat quidem utilitatem

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

feudi, non tamen contrahat obligationem præstandi servitia & onera realia, claudicante hac ratione hoc contractu ad modum aliorum contractuum cum pupillis initorum. Minor verò ad servitia saltem personalia se obligare possit sine curatoris autoritate; cum ad ea præstanda non obligetur curator, utpote qui non sicut tutor datur pro rebus & persona, sed tantum pro rebus juxta L. obligari. ff. de oblig. c. act. De aliis, de quibus dubitari posset, an feudi capaces sint, vide infra, ubi de successione in feudis.

Quæst. 398. An igitur etiam & qualiter clerici aut etiam religiosi obtinere & remittere possint feuda?

1. Resp. primò: Clericos non constitutos in sacris neque beneficium habentes acquirere primò posse feuda etiam secularia, & habita retinere, non secus ac merè laicos, communis est omnium & extra dubium. Clar. §. feudum. quæst. 68. in fine. quare cum C. de Luca, de pensione. d. 46. num. 10. c. d. 48. num. 3. c. 4. citans pro hoc Tondut. ir. de pens. c. 77. num. 7. ait, feudum habere omnimodam cum clericatu incompatibilitatem, loquitur, ut patet ex ejus ratione, de feudo accepto à Principe laico, quod est militia, & quidem militia major eà simplice militia, magisque qualificata, & in qua magis solenne juramentum fidelitatis & subjectionis præstatur Principi laico. Uti & de feudo annexo Marchionatus, Comitatus, Baronatus similivè titulo, seu potius de feudo, cui similis annexa dignitas. Ipsum verò Marchionatum, Comitatum, &c. dum solum sunt honorarii & verbales dignitas, non importare dictam cum clericatu incompatibilitatem; at vide me in For. benef. p. 3. quæst. 643. num. 3. Verùm loquendo nunc de feudis ordinariis, quæ talem statum militarem non important, etsi etiam fortè servitium in militia exhibendum domino requirant.

2. Resp. secundò: Clericis etiam in sacris constitutis primò concedi possunt feuda etiam secularia seu à domino seculari; ita Fachin. l. 7. c. 35. Clar. §. emphyteusis. quæst. 78. num. 4. Rosenth. de feud. c. 3. conclus. 5. Zafius in epitom. feud. p. 5. num. 21. Pirh. h. t. num. 23. Wiestn. h. t. num. 50. etiam expressè loquens de clericis initiatis Ordinibus sacris; & constat tam ex jure canonico c. 6. c. 7. de foro compet. quàm feudali, l. 2. feud. tit. 40. §. fin. Dum utroque loco tanquam indubitatum supponitur, clericos feudorum secularium sibi concedendorum capaces esse, & à domino directo data habere posse. His non obstante, quod hi textus, uti & citati AA. plerique clericorum in sacris constitutorum expressam mentionem non faciant. Clarus etiam loc. cit. in fine expressè neget clericos in sacris constitutos vel beneficium habentes retinere posse, (idem est de primò recipere) feudum, pro quo præstandum servitium personale; dum aliunde probatur sacros Ordines non obstare feudo recipiendo, nam, præterquam quod id locum non habeat in feudo franco, ubi nullum servitium personale exigitur, etiam servitium personale præstandum, ubi non tantum cum statu clericali, sed etiam cum sacris ordinibus nullam habet incompatibilitatem consistentem in indecentia, nullatenus talis feudi consecutionem seu receptionem impedire potest. Quia &, dum ha-

Ll 2

beret

beret talem incompatibilitatem, & hinc per ipsum vasallum præstari non posset, exhiberi adhuc per alium posset; & licet hac ratione fortè deficeret feudum à propriissimè tali, adhuc tamen feudum propriè tale censetur, si dominus directus, uti potest, in ipsa concessione feudi seu investitura concederet vasallo exhibere illud servitium personale per substitutum ut Reiffenst. *h. t. n. 53*. Uti hæc confirmantur ex praxi, præsertim in Germania vigente, ubi passim clerici recipiunt & habent feuda non tantum franca, aut etiam habentia onera statum clericalem aut sacros Ordines non dedecentia, & hinc minus propriè talia, sed etiam servitium personale requirentia, dum Episcopi plurimique Abbates aliique Prælati feuda etiam majora & imperialia annexa suis dignitatibus ab Imperatore obtinent sub onere in bello exhibendi servitia personalia per alios. Atque ex his sequitur, etiam non amitti feuda, quæ quis habuit ante clericatum, post eundem & sacros Ordines susceptos, modò non requirant servitium personale dedecens statum clericalem aut sacros Ordines, quod per substitutum exhiberi nequeat. Et ita sentiunt sub hac limitatione omnes, quotquot aliàs absolute tenent præscindendo ab ista limitatione, amitti in hoc casu suscepti clericatus feuda. Clarus *loc. cit. qu. 5. Castrop. tr. 33. d. 10. p. 15. §. 6. Cravet. conf. 303. post num. 10. Rosenth. c. 7. concl. 30. n. 23. & 24. Vultej. de feud. & alii, quos citat & sequitur Pirh. h. t. num. 22*. Et hæc, quantum est de Jure canonico communi. Cujus contrarium dum statuunt leges seu consuetudines feudales, nimirum ut personæ ecclesiasticæ non sint capaces recipiendi feudi aut illud retinendi, cum specialiter disponant de rebus ad ecclesias & personas ecclesiasticas spectantibus ratione domini utilis, non valere dispositionem ob defectum potestatis & jurisdictionis cum Fagn. & Laym. tradit Pirh. *h. t. num. 23. in fine*.

3. Resp. tertio: Quod dictum de clericis secularibus, idem dicendum de religiosis sub eadem limitatione, nimirum non tantum ipsis monasteriis (& in specie Societati Jesu, ut constat ex *compend. privil. v. bona. §. 6.*) de novo concedi & donari posse bona feudalia seu feuda; sed etiam religiosos ipsos capaces esse eorum, pro ut constat ex *c. unic. de stat. religiof. in 6. ac tenent Zaf. in epitom. feud. p. 5. n. 72. dicens comunem. Rosenth. de feud. c. 3. concl. 5. Pirh. h. t. num. 23. Wiestn. num. 47. Reiffenst. num. 52. Clar. §. emphyteuf. qu. 78. n. 1*. Adeoque ea post susceptam religionem tam primò recipere, quam prius habita retinere possunt, modò, ut dictum de clericis in genere, & Clarus etiam expressè de monacho, servitium nullum personale iis incumbat, vel illud sit tale, quod à religioso honestè per se vel alium substitutum idoneum præstari possit. Et quidem feudum prius habitum ab ingrediente Societatem Jesu post ingressum non tantum non amitti, neque etiam transire in Societatem, sicut aliàs quò ad alios religiosos transit in monasterium juxta post dicenda; sed permanere etiam penes personam illius quo ad dominium utile, vel ex eo deducitur, quòd etiam tam dominium directum quam utile bonorum suorum allodialium retineat, usque dum per professionem aliasque constitutiones Societatis cogatur se eo abdicare. Quemadmodum etiam Equites militares (intellige religiosos) feuda habere posse certum ait Castrop. *tr. 33. d. 10. p. 15. §. 6. n. ult.* Qualiter verò feuda religiosi transeant ad monasteria, & hæc in ea succedant, dicitur paulò inferius.

Quest. 399. An & quando feudum ecclesiasticum concedi possit alicui potentiori, quam fuit is, qui illud ab Ecclesia habuit?

Resp. Tamen Prælati feudum ecclesiasticum (intellige reversum ad ecclesiam) absolute seu necessitate non urgente concedere nequeat, ne conditio ecclesiæ fiat deterior. Laym. *in dissert. de reb. eccles. alienand. thes. 93. Pirh. h. t. num. 11*. potest tamen id etiam sine consensu Capituli aliisque solemnitatibus juris, necessitate urgente, in hoc nimirum casu, si feudum ecclesiæ ob delictum vasalli, puta, quia is alienavit sine consensu domini directi rediit ad ecclesiam, ita tamen, ut neque à vasallo, qui illud alienavit, neque ab eo, cui alienavit, facile recuperari possit, illud alicui potentiori laico concedere, ut sic mediante illo ecclesia illud recuperet. Et hic est casus propositus in *c. 2. h. t. ad quem specialiter in favorem ecclesiæ sic respondit Papa. Abb. ibid. num. 5. Rosenth. loc. cit. c. 4. concl. 16. num. 2. Pirh. loc. cit.*

Quest. 400. Quot modis acquiri possit feudum?

Resp. Tribus potissimum sequentibus. Pacto (per quod intelligitur conventio seu contractus ille, quo dominus directus rei suæ dominium utile concedit alicui, & ab hoc reciprocam accipit promissionem præstandi ea, super qua conventum) præscriptione, successione.

Quest. 401. Qualiter acquiratur pacto & mediâ investiturâ?

1. **R**esp. primò declarando, quid nomine investituræ veniat, & quotuplex illa. Est itaque investitura actus ille solemnis, quo feudatarius à domino mittitur in possessionem rei feudalis, aut porrectio signi alicujus, puta vexilli, gladii vel hastæ, annuli pro consuetudine locorum diversa, unà cum prolatione verborum aptorum ad significandum, se velle ei feudum concedere, & actualiter eum investire, ut habetur, *l. 2. feud. tit. 2.* ubi etiam, quòd prior ille actus, quo à domino ejusvè deputato actualiter mittitur in possessionem, sit & dicatur investitura propriè realis & corporalis, in qua plene transfertur in vasallum dominium utile & possessio rei feudalis. Actus verò alter seu traditio illa signi sit & dicatur investitura abusiva, per quam non transfertur actu possessio in vasallum, censetur tamen ei data potestas eam apprehendendi propria autoritate. Ita Clarus, *§. feudum. quæst. 26. n. 1. Reiffenst. h. t. num. 55.* quin & tenetur dominus sic abusivè investito tradere actualem possessionem seu investituram propriè talem, ita ut pœnitere non possit, nec satisfaciat præstando interesse, *l. 2. feud. tit. 26. §. si facta. Reiffenst. num. 56. cum Claro loc. cit. num. 2.* qui tamen hanc addit exceptionem: nisi post factam illam abusivam investituram investivisset alium propriè, tradendo ei actualem possessionem; tunc enim ait præferendum secundum, & liberari dominum præstando illi primo interesse juxta *Gl. in cit. loc. uti etiam, ut Clarus loc. cit. num. 34. cum And. de Ifern. in cit. §. si facta;* dominus postquam promittit feudum nullà factâ investiturâ non tenebitur ad tradendam possessionem, sed solum ad interesse. His suppositis

2. Resp.

2. Resp. secundo: Investitura absolute necessaria est ad acquirendum feudum, seu, ut dicitur *l. 1. feud. tit. 25.* feudum sine investitura nullo modo constitui potest, videtur tamen ad constituendum seu concedendum alicui feudum sufficere investitura abusiva, dum dicitur *l. 2. feud. tit. 31.* sciendum itaque est feudum acquiri investitura, vel eo, quod habetur pro investitura &c, quale quid est ista traditio signi, & ita asserit Reifst. *num. 56.* qui tamen *num. 57.* notat, quod si quis investitur abusive (intellige investitura sufficiente ad constituendum feudum) id fieri debere coram duobus Paribus curiæ, hoc est, vassallis ejusdem domini, vel, iis deficientibus, coram aliis testibus externis. Quod videtur velle Clar. *loc. cit. 9. 15.* dum postquam quævisisset num feudum rectum, seu quod habet naturam propriam feudi, constitui possit sine investitura, respondet duos desuper esse in ulibus feudorum textus in speciem sibi contrarios, dum unus negat expressè posse feudum constitui sine investitura, etiamsi quis domino jubente rei tanquam feudalis possessionem nanciscatur. Alter dicit, paria esse, quod concedatur investitura, & quod quis domino jubente nactus sit possessionem; hosque duos textus ita conciliari, ut si talis iustus domini factus sit coram Paribus curiæ, habeat vim investituræ (intellige constituentis feudum) si autem factus absente curia (id est Paribus curiæ) nihil operetur; adeoque supponit Clarus, istiusmodi iustum, qui factus coram Paribus curiæ, unà cum traditione signi alicujus, & accedente in vim illius accepta possessione constituit investituram abusivam, sufficientem ad constitutionem feudi. De qua quoque investitura intelligendum videtur, quod Idem tradit *9. 14.* nimirum dominum posse investire aliquem de feudo nondum aperto, sive quod adhuc per alium legitime investitum possidet (quamvis, ut monet, ab istiusmodi investituris abstinendum, cum contineant votum captandæ mortis) modo investitura sit concepta sub conditione, puta si ille sine vocatis ad feudum illud decesserit, vel in tempus, quo ipsum feudum ad dominum devolvatur; ita ut dein eveniente illa conditione, addita possessione, feudum integrè constitutum & concessum censeatur; quia id de investitura propriè tali intelligi nequit; cum alio feudum legitime possidente, alter actualiter mitti in possessionem illius nequeat. De cætero investitura utraque tam dari quam accipi potest per alium nomine & mandato domini & vassalli juxta quod dicitur *l. 2. feud. tit. 3. circa finem.* & sic passim videmus Principes per Legatos suos petere & accipere investituras feudorum.

Quest. 402. Qualiter concedi possit feudum antiquum ut novum, & novum ut antiquum?

1. Resp. ad primum: Feudum antiquum vassallo ut novum concedi non posse; cum talis feudi natura in præjudicium descendendum agnatorum aliorumque vocatorum, quibus ex facto & providentia primi acquirentis jus quæsitum est, alterari nequeat per vassallum novum accedente consensu & confirmatione domini directi, etiam hic sit Princeps. Gail. *l. 1. obs. 49. num. 1. juncto num. 7.* Unde licet vassallus de novo investitur, & in investitura expressè dicatur, quod de novo feudo facta sit investitura, non tamen ideo effi-

cietur feudum novum, sed antiquum & paternum remanebit juxta expressum textum *tit. 14. l. 2. feud.* Alvar. *ibid. num. 2.* Jafon. *conf. 180. num. 5. vol. 2.* Gail. *loc. cit.* & Curt. & Afflic. apud Eund. Certumque id est, seu nullatenus per novas investituras naturam & qualitates veterum investiturarum immutari posse, si talis mutatio fieret sine consensu agnatorum. Baldus *conf. 28. num. 2. vol. 1.* Natta *conf. 322. num. 4. vol. 2.* Jaf. *conf. 7. col. 4. vol. 3.* & alii, quos citat & sequitur Gail. *loc. cit.* qui dicunt formam novæ investituræ & recognitionem feudi aliter solitò factam posteritati non esse no-cumento. Unde semper attendenda prima investitura, & surrogatum seu investituram, ut sit confirmatio antiquæ, semper accipiendâ secundum qualitates antiquæ. Dixi tamen paulò ante: si hæc mutatio fieret sine consensu agnatorum: quia talis mutatio & alteratio fieri potest accedente dicto consensu. Gail. *loc. cit. num. 9.* cum Zafio *rr. de feud. p. 3. num. 4.* Curtio, Alvaro &c. De cætero notandum hic cum Claro *9. 20.* in genere, quod si in renovatione investituræ apponantur pacta insolita (quod ipsum probandum esse ab infeudando, ut Clar. *loc. cit. num. 1.* cum communi) & id per errorem non adverterit, id non nocere posteris, ut Bald. *in c. 1. §. fin. post. num. 2. de feud. Guard.* quem, ut Clarus, sequuntur omnes; qui tamen monet, ut vassallus sit cautus, ut accipiat semper renovationem secundum formam primæ investituræ; quod tamen intelligendum de feudo antiquo ex pacto, in quo Dominus non potest disponere pro libitu, secus de feudo, in quo potest disponere pro libitu. Item notandum cum eodem Claro *9. 13. n. 7. & 8.* Quod cum in renovatione infeudationis seu in reinfeudatione non possit immutare consuetudinem, secundum quam solita fieri infeudatio, si id fecerit, & excedat formam consuetam, vitietur reinfeudatio, in quo dicit neminem discrepare.

2. Resp. ad secundum: Feudum novum jure feudi antiqui, hoc est, ut censeatur feudum antiquum avitum, & secundum ejus naturam & qualitates reguletur, concedi potest ab eo, qui ad hoc habet potestatem, si hoc ipsum conceptis verbis exprimatur, quod eum jure feudi antiqui investiat. Gail. *l. 2. obs. 50.* citatis Zafio *p. 3. num. 8. in fin.* Alex. *conf. 29. n. 24.* Jaf. *conf. 136. per tot. vol. 4.* est enim quod ad hoc diversa ratio in feudo novo quam in feudo antiquo; cum in feudo novo quod ad hoc agatur de solius domini, in antiquo de agnatorum præjudicio, ut Jafon. *loc. cit.* Cujus concessionis plures effectus enumerat Gail. *à n. 2.* ut in feudo novo, in quo aliàs non nisi descendentes, non verò collaterales succedunt; dum conceditur ut antiquum, succedunt etiam collaterales non secus, ac si aliàs succedunt in feudo antiquo. Cæteros effectus non nisi proprios feudo antiquo, qualiter etiam locum habeant in novo, dum illud ut antiquum conceditur; vide apud Eundem. Secus verò est, seu non potest feudum novum taliter concedi ab eo, qui ad hoc potestatem non habet, ut Gail. *loc. cit. num. 1.* cum Bald. *in proem. feudor. num. 43.* Præpos. *in prælud. feud. in 6. divis. Alex. conf. 10. à num. 3. vol. 3.* Natta *conf. 467. n. 9. vol. 2.* Ac ita, ut Bald. *loc. cit.* Episcopus taliter investire non potest sine juris solennitate; quia Prælati Ecclesiastici aliter solitò investire nequeunt.

Quest. 403. Quinam feudum constituere & primo concedere possint?

Resp. primò in genere: Quanquam olim feuda (intellige propriissimè talia) conferrent Imperatores, Reges & Magistratus belli gerendi potestatem habentes propter servitium militare illis feudis annexum. Corvin. *jur. feud. tit. 4. in princ.* hodieum tamen possunt id omnes & soli, qui bonorum suorum allodialium liberam administrationem habent, prout expressè dicitur *l. 2. feud. tit. 3.* Sic itaque feuda secularia concedere potest Imperator, non tantùm de bonis propriis seu patrimonialibus; sed etiam de bonis Imperii, ita tamen, ut bona regaliæ majorisque momenti, ut sunt Principatus, Comitatus, Civitates & similia (alias non solita dari in feudum) hodie concedere nequeant, aut de iis dare expectativas sine scitu & consensu Electorum; sed illorum, ubi vacant, reditus ad Imperii usus reservare debeant juxta Capitulationes Caroli V. *art. 24.* Ferdin. II. *art. 28.* Ferdin. III. *art. 23.* Leopold. *art. 30.* Josephi Romanor. Regis *art. 39.* quas citat Reiffent. *h. c. 43.* Item in feudum dare possunt bona sua allodialia non tantùm Principes, Comites, Barones, Nobiles per textum *l. 1. feud. tit. 1. in pr.* sed etiam privati & plebei, dum & hi rerum suarum sint domini & arbitri, & nullibi jura aut consuetudines feudales illis resistent, quin potius positivè eis assistant, universaliter concedendo id omnibus habentibus liberam bonorum suorum administrationem. Et inter hos id possunt non tantùm naves ut olim, sed etiam fœminæ, secundùm quod dicitur *L. 2. feud. tit. 3.* fœminam quoque etiam novi feudi investituram dare posse plerique consentiunt, modò tamen rei, quam in feudum dare volunt, administrationem habeant, & bona sua impudicè & luxuriosè vivendo non dilapident. Arg. *l. 8. mulieri. ff. de Curat. furios.* ita Zal. *in epitom. feud. p. 5. n. 33.* Schrad. *de feud. p. 2. c. 1. n. 59.* Item non tantùm laici, sed & clerici feuda concedere possunt de bonis suis patrimonialibus vel quasi talibus, si ve ea sint propria, si ve feudalia *l. 2. feud. tit. 35.* Non tamen de bonis beneficiorum suorum; uti nec Episcopi, Abbates aliique Prælati & Rectores de bonis Ecclesiarum suarum, etiam de novo acquisitis, non solitis infeudari, nisi sint modici valoris, feuda sine justa causa & juris solemnitatibus concedere non possunt juxta Decretum Urbani II. relatam *l. 2. feud. tit. 6. & Extravag. ambitiosa. de Reb. Eccl. alien.* eò quòd infeudatio rationem habeat alienationis, & quidem ad naturam beneficii & donationis accedentis, & hinc specialiter illis tanquam non Dominis, sed solùm administratoribus illorum interdicta per *Can. sine exceptione. 12. q. 2. & c. 1. de reb. eccl. alien.* possunt tamen de iis ex justa causa & adhibitis juris solemnitatibus adhiberi solitis in aliis alienationibus constituere feudum novum, non secus, ac illas taliter alia viâ alienare possunt. Qualiter autem absque illis bona aperto feudo reversa ad Ecclesiam rursus infeudare valeant, dictum est supra; & specialiter de feudo decimarum solito concedi laicis reverso ad Ecclesiam valde probabiliter dicit Clar. *q. 13. num. 2.* cum Gl. *in c. prohibemus. de decimis. v. laicos.* contrarium sentientibus Curtio Jun. *p. 2. q. 8. n. 5.* Menoch. *de presump. l. 6. presump. 86. n. 3. & c.* Quod ipsum illos etiam posse, dum feudum apertum tempore prædecessoris, & ab eo non concessum denuo, nisi fortè prædecessor ille ex eo per-

ceperit fructus, & tenuerit inter bona mensa (in quo casu inconsulto Papa successor ille non poterit rursus infeudare illud) tradit cum communi Clar. *loc. cit. n. 3.* contra Gl. *in c. 1. de his qui feud. dar. poss. v. feudum dare.* quam communiter reprobari dicit cum Guido. Papa. Et quidem ea concedere etiam consanguineis & affinibus suis, modò talis reinfeudatio non sit ex eo Ecclesiæ onerosa, vel aliàs suspecta, asserit Clarus *loc. cit. num. 5.* citatis Curt. Jun. *p. 2. partus princip. q. 7.* Zal. *de feud. p. 5. vers. quarta conclus.* Jason. *de his qui in feud. dar. poss. n. 19.* testans sic fieri de consuetudine non omnino improbanda; adjiciendo tamen hanc monitionem, ut caveant, ne, dum suos consanguineos immeritò bonis ecclesiasticis ditare contendunt, eorum & suas animas illaquent.

Quest. 404. An quisque vasallus subinfeudare possit feudum à se habitum?

Resp. Id posse vasallum tam laicum quàm Ecclesiasticum seu Ecclesiam de bonis scilicet, quæ sibi concessa in feudum ab alio juxta dicta *quest. ante hanc. 8. resp. 3.* Præter quæ hic notanda sequentia. Primò, quòd, ut hoc possit, requirantur tria. Primum, ut hoc faciat bona fide sine fraude; ut is, qui subinfeudatur, sit ejusdem conditionis & qualitatis, cujus est vasallus subinfeudans. Ut eum subinfeudet cum iisdem pactis & conventionibus, quibus ipse feudum tenebat. Clar. *q. 32. n. 4.* cum Gl. *in c. 1. §. praterea. de his qui feud. dare poss. Belvisio in idem. c. in pr. & Molin. in consuetud. Paris. feud. §. 32. n. 18.* Secundò notandum, hanc subinfeudationem non posse fieri in præjudicium agnatorum subinfeudantis, utpote quibus debetur ex pacto & providentia primi concedentis. Clar. *loc. cit. num. 5.* cum Beroo. *q. 95. n. 5.* qui dicit communem. Unde, dum tale feudum est antiquum & paternum, non durat apud secundum vasallum seu subinfeudatum, nisi quandiu vivit subinfeudans, vel ejus descendentes, eo autem mortuo resolvitur subinfeudatio, venitque proximus agnatus subinfeudantis ad feudum. Alex. *conf. 15. n. 9. l. 5.* Ruin. *conf. 37. n. 18. l. 1. & conf. 213. post num. 2. l. eod.* quos citat & sequitur Clarus *loc. cit. num. 5.* Neque etiam fieri in præjudicium domini directi, dum nimirum moriente vasallo subinfeudante sine filiis & agnatis feudum esset aperiendum domino directo. Unde & in eo casu censent plures, feudum non permanens apud subinfeudatum, nisi quandiu mansurum fuisset apud primum vasallum; aliis tamen sentientibus contrarium, nimirum permanens apud secundum vasallum seu subinfeudatum etiam post finitam lineam primi vasalli seu subinfeudantis; pro qua secunda sententia etiam dicitur ita videri esse textum expressum in *c. 1. §. 1. qual. olim feud. pot. alien.* Quatenus ibi dicitur, non posse adimi secundo vasallo feudum, quando primus esset eo privandus, si esset paratus illud ab ipso domino directo recognoscere, & illi servire, addit tamen, id in practica non posse sustineri. Tertiò notandum, quòd, ubi subinfeudatus velit feudum subinfeudatum alienare, non requiratur consensus subinfeudantis, utpote penes quem post subinfeudationem non remanet nec dominium directum, nec utile, sed solummodo quædam reliquæ utilis domini, quæ tanquam modici momenti non attenduntur. Requiritur autem & sufficiat consensus prioris seu primi domini directi,

Et, à quo primus vasallus infeudatus, utpote penes quem semper remanet dominium directum, quod tanquam pars prima & potior attendendum; ita Clarus dicens esse communem cum Zafio de feud. in p. 9. vers. sed occurrit. Cagnol. in l. consilii. §. socii mei. ff. de reg. jur. n. 9.

Quæst. 405. An & qualiter feudum per prescriptionem acquiri possit?

Resp. primò: Feudum propriè tale seu dominium utile rei aliàs allodialis sub obligatione fidelitatis & servitii alicujus præstandi prescriptione constitui & acquiri potest à privato contra privatum spatio 30. annorum, accedente bona fide. Paris. conf. 15. num. 13. l. 1. & conf. 27. n. 91. l. eod. Clar. §. feudum. q. 45. n. 3. Mynsing. cent. 4. obs. 29. quod expressè habetur l. 2. feud. tit. 26. ubi: Si quis per 30. annos rem aliquam ut feudum possedit, & servitium domino exhibuit, quamvis de ea re non sit investitus, prescriptione tamen 30. annorum se tueri potest: intellige, ut vasallum. Dicitur: *Contra privatum*: idem tamen dicit Reiffenst. h. t. n. 59. de domino seculari; adeoque non faciendo in hoc discrimen, an dominus directus, contra quem præscribitur, sit persona privata, an in dignitate constituta seu Princeps. De cætero opponendo privato Ecclesiam, contra hanc, uti & alium locum pium, & rerum publicarum bona feudum non præscribitur nisi 40. annis; cum enim tantum temporis requiritur ad prescriptionem bonorum illius immobilium quò ad dominium proprietatis eorundem, ut constat ex jure communi, idem de iisdem præscribendis quò ad dominium utile, seu acquirendis viâ prescriptionis in feudum dicendum, præsertim cum in libris feudilibus non tantum non habeatur quò ad hoc contrarium, sed etiam in iis l. 2. tit. 1. §. si strenuus. præcipiatur, ut, si occurrat casus non comprehensus in consuetudinibus feudilibus (quales sunt isti libri) decidatur juxta jus commune seu legem scriptam; & ita tenent Rosenth. de feud. c. 6. concl. 78. Mynsing. loc. cit. Engels h. t. n. 17. quos citat & sequitur Reiffenst. num. 59. Dicitur etiam: *Accedente bona fide*; quia c. fin. de præscrip. universaliter dicitur, quòd nulla præscriptio tam canonica quàm civilis valeat; estque Reg. jur. in 6. possessor mala fidei nullo unquam tempore præscribit. Per quos SS. Canones consuetudinibus & legibus civilibus, si quæ sunt in contrarium, derogari censetur, juxta quòd dicitur cit. c. fin. de præscrip. omni constitutioni & consuetudini derogandum esse, quæ absque peccato observari nequit. Ad hanc tamen prescriptionem non requiritur præterea titulus; cum juxta c. 1. de præscrip. in 6. ad prescriptionem longissimi temporis, qualis est illa 30. annorum, sufficiat bona fides absque titulo. Dicitur est demique: præscribi dicta ratione contra dominum: unde videtur sequi, pari modo à domino præscribi feudum contra vasallum, ita ut res allodialis vasalli evadat feudalis, si nimirum per 30. annos à vasallis ratione illius præstita obsequia aliæque onera feudalia. Sicut autem dominus per prescriptionem illius temporis facere potest, ut ex re allodiali vasalli fiat res feudalis; ita etiam vasallus facere potest, ut ex re feudali fiat res allodialis ipsius vasalli, & ita præscribere dominium directum domini. Abb. in c. ad audientiam. de præscrip. n. 17. Engels h. t. n. 42. quos

citât & sequitur Reiffenst. h. t. n. 69. Neque his obstat lex feudalis. L. 2. tit. 55. cum illa loquatur de prescriptione feudi malè alienati, & non de feudo, quòd præscribit ipse vasallus absque alienatione, faciendo per prescriptionem ex eo rem allodiam.

2. Resp. secundò: Feudum à vasallo sine consensu domini alienatum seu translatum. V. g. per venditionem in alium, ab hoc, et si sit emptor bonæ fidei, contra dominum neque quò ad proprietatem, ita ut res feudalis fiat allodialis, neque quò ad dominium utile, ita ut ille emptor loco prioris fiat novus vasallus, præscribi non posse spatio 30. vel 40. annorum, ita ut dominus alienationem sine suo consensu factam annullare, & feudum tanquam sibi apertum recuperare amplius nequeat; sed requiri ad hoc centum ad minimum annos, tenent probabilius Isernia in c. imperialem. de prohib. feud. alien. cui communiter inhæreret AA. ait Curt. Jun. de feud. 4. part. in ult. caus. amitt. feud. col. 1. Clar. q. 45. n. 2. juncto num. 4. Harprecht. pr. Inst. de usucap. n. 16. & plures alii, quos sequuntur. Engels. h. t. n. 42. & Reiffenst. h. t. n. 64. sub distinctione tamen facta in hoc inter feuda, quæ annexa habent servitia militaria pro Reip. utilitate, quæque plerumque dantur à Principibus belligerandi potestatem habentibus, & de iis admittunt præscribi non posse 30. vel 40. annis, & feuda privatorum, vel vi quorum ad servitia militaria non tenentur vasalli. & de his negant præscribi non posse 30. vel 40. annis. Nituntur hi AA. textu. l. 2. feud. tit. 55. ubi expressè Frideric. Imperator ob regni utilitatem cassat & in irritum deducit hujusmodi alienationes factas & imposterum faciendas nullius temporis prescriptione impediende, reddita etiam ratione hujus constitutionis suæ; ne nimirum cum magno Reip. detrimento servitia militaria minuantur, & expeditioni bellicæ vasalli obligati deficiant. Quæ tamen ratio legis, & consequenter lex ipsa deficit in feudi alienati prescriptione tantum quò ad dominium utile, dum feudum nulla servitia militaria adjuncta habet, talia saltem feuda præscribi posse videntur 30. vel 40. annis; atque ita locum habet dicta distinctio; quin & sententia opposita, quam aliàs absolutè tenent Rosenth. in Synop. juris feud. c. 6. concl. 150. & c. 9. concl. 132. Gail. Tiraq. Præpos. Bald. relati à Reiffenst. h. t. num. 63. moti hac ratione; quòd ob bonum Reip. & tollendas innumeras lites possessio 30. vel 40. annorum cum bona fide generet prescriptionem, quæ cuilibet plenam securitatem præstet juxta jus commune. L. sicut. l. omnes. de præscrip. His non obstante, textu cit. l. 1. tit. 55. cum is loquatur de prescriptione ordinaria 10. vel 20. annorum, non verò de extraordinaria longissimi temporis; quæ tamen interpretatio dictæ legis feudalis minus apta videtur; cum textus ille nimis clarè omnem & cujuscunque temporis, adeoque etiam longissimi temporis prescriptionem infirmet; quin etiam ei jus ipsum commune resistit, dum positive resistit præscribenti, constituendo, ut intra annos 40. sine titulo (uti contingit in præsentis casu) præscribi nequeat.

Quæst. 406. An feudum acquiri possit successione, & in specie eâ, quæ est ex testamento?

Resp. primò: Tametsi olim & ab initio nulla dabatur in feudis successio, seu ea non

acquirebatur successione vi primæ constitutionis eorum; sed domini rem suam in feudum datam pro libitu possent auferre; postmodum tamen moribus inductum, ut datio illa haberet firmitatem ad annum. Dein statutum, ut produceretur ad vitam fidelis vasalli; ac demum, ut etiam ad filios ejusdem deveniret, nimirum ad eum, in quem Dominus vellet hoc beneficium confirmare. Quod hodie ita stabilitum & extensum, ut ad omnes æqualiter veniat; quin & deinceps ad septimum gradum progrediatur, & jure novo in masculis infinitum extensum, prout hæc habentur & dicuntur *l. 2. feud. tit. 1. §. 1.*

2. Resp. secundò: Licet in rebus allodialibus detur successio, tam ab intestato (quæ etiam legitima dicitur *l. 1. §. ff. de petit. hered.*) quàm quæ est ex testamento, dicta testamentaria; in feudis tamen sola admittitur legitima, seu quæ est ab intestato; ea verò, quæ est ex testamento, sit incerta nulla nulliusque valoris. Clarus §. *feudum. g. 40. n. 1.* cum Socin, Jun. *conf. 72. post num. 40. l. 1.* Curt. Jun. *de feud. 4. part. princip. in reg. 1. g. ult.* & communi juxta quod dicitur *l. 1. tit. 8.* nulla ordinatione defuncti in feudo manente vel valente &c. eò quòd, cum vasallus non sit dominus feudi, nisi quamdiu vixerit, non debeat posse de eo disponere in præjudicium eorum, quibus ex providentia primi constituentis & acquirentis feudum illud post mortem ejus debetur. Unde nulla est dispositio, quæ pater in testamento disponit, ut feudum ad filios inæqualiter transeat, vel anus solus illud habeat. Schrad. *de feud. p. 7. c. 2. n. 3.* Clar. *loc. cit. n. 5.* citatis Zasio *de feud. p. 8. in 3. particul. vers. & hanc part.* Alex. in *l. cum servus. §. si quis alicui. ff. de legat. &c.* idque, etiam si id faciat cum consensu domini directi, nisi filii aliique agnati de quorum præjudicio agitur, consentiant. Curt. Jun. *de feud. p. 4. à num. 127.* Reiffenst. *h. t. num. 71.* Et hæc procedere de plano in feudo antiquo & paterno ait Clar. *l. c. n. 6.* cum Ruin. *conf. 9. l. 1. in fin.* & Socin. Jun. *conf. 160. n. 44. l. 2.* eò quòd extra dubium sit, vasallum non posse mutare naturam feudi; adeoque dum feudum virtute investituræ debet transire ad omnes filios æqualiter, pater illud non possit prælegare uni. Num autem idem sit in feudo novo, valde controvertitur inter AA. affirmativam videri magis communem dicit Socin. *loc. cit.* negativam è contra magis communem asserunt alii. Quam etiam sibi magis placere ait Clarus; eò quòd valde rationabile sit, quod quisque jure suo quæsit, etiam arbitrio suo alienare possit; nullumque in hoc fieri præjudicium, dum juxta valde probabilem vasallus tale feudum novum cum consensu domini alienare possit etiam in extraneum. Item nulla est testamentaria dispositio facta de feudo ad causas pias. *L. 2. tit. 9. §. donare.* ita etiam, ut hæres ne quidem æstimationem feudi relicti legatario præstare teneatur; eò quòd rei legatæ æstimatio non debeat; cum ea legata non censeatur, sed solum jus, quod legans in re legata habebat. Clar. *loc. cit. num. 4.* citatis Bald. in *cut. §. donare. n. 3.* & Socin. Jun. *conf. 72. n. 60. l. 1.* dicente esse communem. Nihilominus

3. Resp. tertio: (quæ est limitatio prioris responsionis,) dum feudum tamen est simpliciter & absolute seu merè hereditarium, de eo pro libitu suo in testamento testari potest vasallus, & relinquere illud, cui voluerit etiam extraneo. Clar. *loc. cit. num. 2.* Vultej. *de feud. l. 1. c. 9. num. 79.* Si

verò est mixtum ex hereditario nimirum & gentilitio, seu simul ex pacto & providentia, (quale est receptum pro se & filiis & hæredibus juxta dicta supra; adeoque in eo succedere non possit, nisi qui simul sit hæres & filius, ut dictum ibidem) dispositionem testamentariam de ipso feudo valituram, eò quòd hæres contravenire nequeat facto defuncti ejusque dispositionem infringere, asserit *loc. cit.* Clarus, ex mente tamen, ut videtur, aliorum. Quod tamen si verum esset, procedere tantum ait, ubi ageretur de præjudicio filiorum & agnatorum; dum autem ageretur de præjudicio ipsius domini directi, non haberi in consideratione, an sit feudum novum, vel antiquum, an sit simpliciter ex pacto & providentia, an mixtum; adeoque, nisi feudum sit absolute hereditarium, omnem dispositionem factam de feudo per vasallum quòd ad præjudicium domini esse nullius valoris. Ac denique de suo concludit Clarus, esse regulam generalem, quòd, si feudum sit simpliciter ex pacto & providentia, si mixtum, vasallum in præjudicium agnatorum de feudo testari non posse.

Quæst. 407. Qui & quo ordine succedant ab intestato, in feudis nimirum gentilitiis?

1. Resp. ad primum: Jure sanguinis in talibus feudis succedunt rectè lineà descendentes à primo acquirente feudum, puta filii & nepotes. Ascendentes, nimirum pater, avus illius collaterales, nempe fratres eorumque filii.

2. Resp. secundò: Primo loco succedunt descendentes masculi, ascendentibus & collateralibus, si qui sint, exclusis seu præteritis; pro ut dicitur *l. 2. tit. 11.* hoc modo inter eos servato, ut, dum plures sunt filii, hi succedant æqualiter in capita; nepotes verò concurrentes cum filiis, in stirpes loco patris defuncti, nullo facto discrimine, an sint, emancipati, an ex eodem, an ex diverso matrimonio nati; nisi fortè specialis consuetudo loci habeat aliud, aut desuper speciale pactum in contractu matrimonii factum, ut filii prioris matrimonii præferantur in successione feudi filiis secundi matrimonii, pro ut textum; *l. 2. feud. tit. 26. §. mulier;* ubi sic constitutum, ad hunc casum specialis consuetudinis vel pacti restringendum asserunt. Curt. *de feud. p. 3. memb. 1. qu. 24.* Azor. *l. 10. c. 8. quæst. 3. &c.* apud Reiffenst. *h. t. n. 75.* Et hæc, ubi feudum est dividuum: si enim dividi prohibetur, (qualiter feuda regalia. V. g. ducatus, comitatus expressè prohibentur dividi: *l. 2. feud. tit. 55. §. 1.*) solus primogenitus succedit ejusque descendentes, ita ut, si ex primogenito sint nepotes, hi præferantur secundo genito adhuc superstiti. Rosenth. *c. 7. concl. 26. num. 13.* & alii cum communiore, juxta quod etiam expressè statutum in successione Electorali in Bulla aurea Caroli IV. *c. 7.* ex ea etiam ratione, quòd pater & filius naturà una persona censeantur, hicque in locum illius jure repræsentationis etiam juxta communem succedat. De cætero à successione in feudo arcentur filii adoptivi, *l. 2. tit. 26. §. omnes.* Item filii illegitimè nati, nec soli, nec cum aliis legitimis, etiam si postmodum fiant legitimi, ad successionem feudi admittuntur, ut dicitur *l. 2. tit. 26. §. mulier.* nisi tamen sint legitimati per subsequens matrimonium. Mynsing. *cent. 5. obs. 42. & 52.* testans esse receptum in Camera Imperiali. Gail. *l. 2. obs. 141. n. 2.* Clar. *l. c. 9. 82. n. 4.* citans quam pluri-

plurimos, ac idem cum Abb. *in c. tanta. qui filii sint legit. num. 7.* Alex. Ripa. & aliis testantibus de communi dicens, procedere, etiam si feudum sit expresse receptum pro se & filiis legitime natis; eo quod sic legitimi in omnibus & per omnia æquiparentur legitime natis. Idem est de legitimatis, dum legitimatio ab ipso Principe, penes quem est plenitudo potestatis, facta. Clarus *loc. cit. num. 3.* & ut aliqui apud Reiffenst. *n. 77.* cum Fachin. *l. 7. c. 49.* addunt, si legitimatio facta specialiter in ordine ad talem successorem; quin & de legitimatis à Comite Palatino, modo is in privilegio suo habeat expressam potestatem legitimandi ad feuda. Clar. *loc. cit.* cum Molin. *in consuetud. Paris. feud. §. 8. gl. 1. num. 38.* Filii quoque iuste exhereditati, dum feudum est mixtum, seu dictum in investitura, quod filii, ut succedant, simul debeant esse hæredes, arcentur à successione in tali feudo. Secus est, si feudum est pure gentilium, sive ex pacto & providentia, in quo ad succedendum non requiritur qualitas hæredis, ita Clar. *loc. cit. quest. 74.* Huic posteriori non obstante, quod ait Zafius *de feud. p. 8. vers. de exhereditato;* quod ex quibus causis filius potest exhereditari, possit etiam feudo privari; quia, ut bene dicit Clar. longe id aliud est, quam quod possit pater exhereditando filium privare feudo ex pacto & providentia tali, utpote de quo pater in testamento nihil potest disponere.

3. Resp. tertio: Quamvis etiam ascendentes in feudo hæreditario succedere possint, non quidem ab intestato, sed ex dispositione testatoris; ex intestato tamen regulariter loquendo non succedunt in feudo pure gentilium, ut habet communis juxta expressum textum *l. 2. feud. tit. 5.* Dico regulariter: Cum hoc ipsum pariat exceptiones; & primo quidem: nisi consuetudo vel statutum loci sic habeat, ut etiam ascendentes succedant, aut ita expresse cautum in investitura. Arg. *l. 2. tit. 8.* Secundo nisi filius ob merita patris primo consecutus fuisset feudum; tunc enim etiam pater admitteretur ad feudum, ut cum Corvin. *in Synop. jur. feud. l. 2. tit. 4.* Engels *b. t. num. 26.* Reiffenst. *num. 80.* saltem filio decedente sine liberis. Quod idem etiam dicant Engels & Schrad. de casu, in quo pater renunciat feudo filio, seu filium à Domino in eo investiri fecisset, & is mortuus fuisset ante patrem sine descendibus, nimirum reversurum tunc feudum ad patrem, idque probare conentur ex *l. 2. tit. 14. §. tit. 84.* ejus tamen contrarium delumi potius ex *cit. tit. 84.* videtur, dum ibi dicitur in eo casu patrem catere beneficio & illud domino acquiri.

4. Resp. quarto: In feudo novo nullus collateralium succedit, ita etiam, ut frater fratri non succedat, nisi contrarium à domino in investitura dispositum; sed soli descendentes, quibus deficientibus, feudum redit ad dominum. Clar. *loc. cit. q. 79. num. 2.* Gail. *l. 2. obs. 50. num. 2.* cum communi juxta expressum textum *l. 1. feud. tit. 1. §. 2.* ubi: Si unus ex fratribus feudum à domino acceperit, eo defuncto sine legitimo hærede, frater ejus in feudum non succedit &c. Sic etiam, si duo fratres investiti de feudo pro se & filiis, & uterque moritur, unus sine liberis, alter relicto uno filio, portio istius fratris defuncti non devolvitur ad relictum filium alterius fratris; cum ipsi fratres feudo illo novo investiti videntur pro-

R. P. Lewr. *Jur. Can. Lib. III.*

spexisse sibi tantum & suis filiis, non autem filiis alterius fratris; ita Clar. *loc. cit.* cum Curt. Sen. *conf. 49. num. 11.*

5. Resp. quinto: In feudo antiquo deficientibus descendentibus regulariter succedunt collaterales, non quidem cognati (id est conjuncti per feminam, ut Schardius *in Lexico, v. cognatus.*) juxta quod expresse dicit *l. 1. tit. 11. ubi:* Ad cognatos beneficium (intellige feudi) non pertinet, nec beneficium successio, ex ea etiam ratione, quod in feudis nulla penitus habeatur ratio matris seu vinculi materni, ut in Camera Imper. judicatum testatur Gail. *l. 2. observ. 151. Arg. cit. tit. 11.* Sed collaterales tantum agnati, id est, conjuncti per patrem. Clar. *cit. quest. 79. num. 1.* cum Zafio *de feud. part. 8. vers. secunda concl. dicente,* esse ab omnibus receptum. Et quidem primo fratres omnes defuncti vasalli succedunt æqualiter, sive sint consanguinei, hoc est, nati ex eodem patre, sed ex diversa matre; sive sint germani, id est, nati ex eodem patre eademque matre, licet aliàs in allodialibus de jure communi *novell. 118. c. 3.* frater germanus excludat fratrem consanguineum. Idque iterum ex eadem ratione; quia in feudis non habetur ratio matris; si verò nec filii nec fratres defuncti existant, sed solum fratrum filii seu nepotes defuncti vasalli, an hi æqualiter veniant in capita, an autem in stirpes, summa est inter AA. altercatio, ut videre est apud Clar. *quest. 75. num. 2.* & Mynsing. *cent. 3. observ. 64.* Priorem sententiam tenent Comen. Corn. & alii apud Clarum, dicentes communem; in eam valde inclinavit ipse Clar. eam absolute tenet Mynsing. cui inhæret Reiffenst. *b. t. num. 83.* citato etiam pro ea Engels. *b. t. num. 28.* adjecta etiam bona ratione, quam eandem prius adduxerat Myns. quod in hoc casu non succedant hi fratrum filii jure representationis, sed quivis jure proprio; tum quia, ubi in libris feudorum specialis deficit constitutio, judicare debeamus juxta jus commune, cujus indubitata est regula; omnes transversales ejusdem gradus ad successionem in capita vocari. *L. si pars hered. petat. l. post consanguineos. §. 1. ff. de suis & legit. hered.* Ac denique quia Carolus V. in Comitibus Spirensibus sancivit, filios fratrum inter se dividere debere hæreditatem patrum, non in stirpes, sed in capita, ita ut, quot sunt capita, in tot fieri debeant portiones hæreditariae. Extra tamen controversiam est, quod ubi filii fratrum veniunt ad successionem feudi unà cum patruo, scilicet cum fratre vasalli defuncti, veniant in stirpes. Mynsing. *loc. cit. in pr.* Clarus *loc. cit.* qui etiam idem dicit de casu præmissis, quod ubi nullus adest patruus, nepotes venire in stirpes, si feudum esset hæreditarium. Denique deficientibus etiam nepotibus ex fratre, succedunt alii agnati, non tamen quomodocunque proximi sanguine, sed proximi ex illa linea, ex qua erat defunctus, ut etiam hi excludant alios æquè proximos vel etiam proximiores, ex alia tamen linea descendentes, juxta quod expresse statuitur *L. 2. tit. 50.* De cætero proximitatem hanc non spectandam respectu primi acquirentis feudum, sed respectu ultimi possessoris, ita ut frater defuncti vasalli excludat patruum suum, etiam hic proximior sit primo acquirenti, ait Reiffenst. *Arg. cit. tit. 50. & l. 1. tit. 14.* contrarium tenente Gail. dum *l. 2. obs. 149. n. 2.*

Mm

expres-

expressè ait : proximitas in successione feudi non consideratur respectu ultimi vassalli, sed respectu ejus personæ, à qua feudum originem habet; pro quo citat Bald. *conf. 137. n. 1. vol. 2. Alvar. in c. 1. de alien. feudo. num. 7.* unde pro regula servatur, ultimum agnatum esse semper primi acquirentis successorem, etsi feudum per mille manus ambulaverit. Porro successio hæc collateralium, non, ut aliqui voluerunt, ad septimum gradum, sed non secus ac successio descendentium, extendit se etiam in infinitum. Arg. *tit. 11. § 50. l. 2. ubi*: Ex latere omnes masculos descendentes usque in infinitum.

Quest. 408. An & quando fœmina succedat in feudo?

REsp. Regulariter loquendo, fœminæ & descendentes ex illis, etiam masculi, non succedunt; est communis & certa, ut ait Zasius *de feud. part. 8. vers. super secundo.* moribus feudorum recepta. *L. 1. feud. tit. 1. § tit. 8. §. filia.* Et ita quidem, ut in feudo semel constituto Imperator in præjudicium agnatorum, qui successuri erant, dispensare non possit, ut fœminæ succedant; cum Princeps non possit jus quæsitum alteri auferre, ut Clar. *loc. cit. q. 73. num. 9.* cum Curt. Jun. *conf. 76. num. 18. l. 1.* & communi, ut ajunt; & licet id posset Princeps, non tamen deberet id facere, ut Clar. dixi: *Regulariter*: cum plures responsio patiat exceptiones. Nam primò contrarium est, ubi consuetudo sic habet, aut speciale statutum, ut fœminæ succedant, etiam si de cetero in investitura de hoc nihil dicatur. *L. 2. tit. 1. Clar. cit. q. 73. num. 9.* cum Paris. *conf. 21. num. 13. l. 1.* testantes de communi ex ea ratione, quod cum feuda ab initio introducta per consuetudinem, hæc potissimum in iis attendenda, & merito juxta hanc regulanda. Secundò in feudo ex institutione sua fœmineo secundum dicta supra. Dum nimirum in investitura concessum est pro fœminis & masculis, vel si primitus concessum fœminæ; in quo tamen utroque casu (idem est in omnibus aliis feudis in quibus fœminæ succedere possunt. Arg. *l. 2. tit. 51. §. 2. § tit. 17.*) fœminæ non nisi deficientibus masculis succedunt, uti clarè habetur *l. 2. tit. 3. ubi*: Si fœmina habens feudum decesserit, quia fœmineum est feudum, & sine speciali pacto, deficientibus filiis masculis, ad filias pertinebit. Tertio in feudo emptio juxta probabiliorum, quam tenet Clar. *loc. cit. num. 6.* cum Odofred. *in sum. qui poss. in feud. succed.* Decio *conf. 390. num. 7.* Paris. *conf. 4. num. 39. l. 1.* & aliis; nisi tamen in investitura essent vocati masculi, non facta mentione fœminarum; in quo casu ait Clar. credere se, fœminas hoc ipso ex mente concedentis non admittendas. Quarto in feudis francis, & illis, quæ servitium certum fœminis non inconueniens exigunt, fœminas posse succedere tenet Clar. *loc. cit. num. 7. § 8.* citatis aliis. Qui etiam addit, quod licet in puncto juris (quod universaliter excludit fœminas ab omni feudo, excipiendo solum feudum fœminium, & in quo ex speciali pacto id eis competit; propter quod & alii sentiunt contrarium, nempe fœminas, etiam deficientibus masculis, in hoc casu excludi) patiat hoc ipsum aliquam difficultatem, in praxi tamen ab eo non esse recedendum, nisi fortè verba investituræ vel consuetudo repugnaret. In

casibus tamen, in quibus excluditur fœmina, dum feudum est hæreditarium, de eo fœminæ constitui debere legitimam; eò quod istiusmodi feuda sint verè pars hæreditatis, & comparentur alodialibus; citato Fachin. *l. 7. c. 47.* asserit Reiffenst. *h. t. num. 91.* & teste Haunold. dicit communem. De cetero, si fœmina semel admittitur ad successionem in feudo ob non existentiam masculorum, ab eo non excluditur per masculum postea prius natum. Belvis. *de feud. v. § fœminis. n. 17.* Zas. *de feud. 8. part. in 2. particul. vers. sed quæras.* Curt. Jun. *in 1. Reg. 3. part. principal. in q. 28.* quos citat & sequitur Clar. *quæst. 80. num. 1.* contra Ileriam; eò quod lex regulariter non patitur dominia rerum manere in suspensio, uti fieret in hoc casu; & nemo jure jam quæsito sine sua culpa privandus sit; & legitime factum retractari non debeat, etsi casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari, ut dicitur *Reg. 75. Jur. in 6.* Excipitur tamen casus, quo nascitur masculus aliàs loco fœminæ successurus, qui, dum fœmina acciperet feudum, jam jacebat in utero pregnantis matris suæ, juxta illud: qui in utero est, perinde, ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partis quaeritur. *L. 7. § l. penult. ff. de statu homin.* E contra fœminam semel exclusam propter existentiam masculi pro semper censi exclusam, ita ut mortuo illo masculo sine liberis, adhuc nequeat admitti, negant Mynsing. *cent. 5. obser. 74.* Rosenth. *c. 7. concl. 44.* & alii apud Reiffenst. *num. 95.* affirmant è contra Fach. *l. 5. c. 45.* cui adheret Reiffenst. dicens communiorum. Item Ileria, Curt. Jun. apud Clar. *cit. q. 80. num. 2.* ob textum *l. 1. tit. 6. §. 1.* ubi: Si quis tenore feudum acceperit, ut ejus descendentes masculi & fœminæ illud habere possint, relicto masculo, ulterius fœminæ non admittuntur &c. ubi AA. illi per *ad ulterius* intelligunt *nunquam amplius*: unde & deducunt, in eo casu, exclusis fœminis, feudum devolvi ad dominum. Quam tamen sententiam semper sibi visam esse duram, ait Clar. si in eo casu, quo masculi & fœminæ essent vocati in investitura, masculis deficientibus, deberet excludi fœmina, & feudum aperiri domino, dum ea sola superest ex progenie primi investiti; unde credit, non aperiendum in hoc casu feudum domino, sed fœminam successuram. Secus verò esse censet, seu non successuram fœminam, si superest alius agnatus; quin &, supposita illà opposita sententia tanquam verà, censet adhuc cum Curtio fœminam admittendam, si masculus ille excludens imposterum fœminas statim moreretur, eò quod non videatur extitisse, quod statim deficit.

Quest. 409. An & qualiter monasteria succedant in feuda suorum Religiosorum?

REsp. Quòd Clerici, etiam in sacris constituti, & religiosi feuda sua sæcularia, tam hæreditaria, quam quæ ex pacto & providentia sunt, etiam fœminea, præhabita retinere, aut etiam ea primò recipere, & in eis succedere possint regulariter, modò sint franca, vel servitium solum reale, aut personale, incompatibilitatem cum statu clericali aut religioso non habens, aut si habeat, præstari possit per alium substitutum, id inquam, dictum est supra cum communi, quam tenent Fagn. *in c. quæ Ecclesiarum. de constit.* Fachin.

Fachin. l. 7. c. 15. Pirh. h. t. num. 22. Rosenth. Clar. Laym. Vultei & passim alii. Proinde non nisi hic dicendum restat, qualiter, dum Religiosi quò ad suam personam ea retinere amplius non possunt, in eis succedat monasterium seu religio. Circa quod dico: in feudis etiam istiusmodi suorum Religiosorum professorum, non succedit monasterium, dum bonorum stabilium capax non est, intellige, ne quidem quò ad commoditatem percipiendi fructus separatam à dominio utili, quia hæc in feudis non competit nisi ratione domini utilitatis, cuius non secus ac Domini directi capax non est monasterium tale. Sed, si antiqua sunt, transeunt ad proximos agnatos, ex tenore investiturae vocatos, vel, si tales nulli sunt, redeunt ad dominum directum. Transeunt verò in monasterium, si illud bonorum stabilium capax est; idque perfectè, id est, tam quo ad dominium utile, quam commoditatem percipiendi fructus. His non obstante, quòd ait Clar. *quest. 78. num. 3.* sibi nunquam placuisse, quòd feudum transeat in monasterium, vasallo effecto monacho; quia id esset distrahere monachos ab instituto suæ religionis, quod est inservire Deo, & abstinere à negotiis secularibus. Loquitur siquidem, ut probat ejus ratio, de feudo requirenti servitium seculare, incompatible cum statu religioso. Neque obstat, quòd ait *num. 2.* & ex eo Pirh. h. t. num. 26. feudum transire ad tale monasterium quò ad commoditates feudi; cum id intelligi nequeat de sola commoditate, dum interea, quòd vivit professus, dominium utile neque spectet ad dominum, si agnati nulli supersunt, ita ut consolidetur cum ejus dominio proprietatis; neque ad agnatos, si supersunt; quia neque ille, neque hi fructus ex eo percipere possunt: ex altera verò parte, sicut monasterium tale succedit in alia bona allodialia sui professi, ita etiam capax est succedere in bona feudalia, tam quò ad dominium utile eorundem, quam quò ad commoditatem exinde percipiendi fructus; quorum neutrum remanet penes monasterium mortuo professo; caderet quippe aliis in grave præjudicium tam domini quam agnatorum; cum monasterium non moriatur. Verum id ipsum quoque, quòd in tali feudo intereat monasterium, plures patitur exceptiones. Nam primò non transit in monasterium, dum in investitura cavetur, ne in illud transeat. Sanch. l. 7. moral. c. 15. num. 40. Pirh. cit. num. 26. Wiestn. h. t. num. 52. Quippe quæ clausula, cum familiae conservationem, finem utique honestum, spectet, servanda est; adeoque pro tempore etiam vitæ religiosi feudum non transit ad monasterium. Idem esse, si in investitura dictum: pro se & filiis; eò quòd hoc intelligendum de veris filiis, & verba contrahentium sint strictè accipienda, ait Pirh. loc. cit. citans pro hoc Abb. in c. *presentia. de prob. num. 71.* & Sanch. num. 45. qui tamen id declarat de feudo post mortem professi non transire in monasterium, neque sit penes illud, quasi hoc substitueretur filio professo. Secundo non succedit in feudis regalibus, seu quibus annexa est dignitas Regni, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, ut dum filius Ducis fieret monachus monasterio acquireretur Regnum Ducatus &c. & sic etiam interea tantum, quòd vivit talis filius monasterium repræsenteret dignitatem Regiam, Ducalem &c. Clar. loc. cit. num. 3. citans *Speculat. de stat. monach. §. 1. num. 15.* Pirh. loc.

R. P. Lewy, Jur. Can. Lib. III.

cit. Engels h. t. num. 24. Reiffenst. num. 103. citans insuper Barbof. *Jur. Eccl. l. 3. . . num. 2.* Et quidem de regno fateri id omnes; quia id indecens videtur. De Ducatibus & Comitibus habere communem & esse receptam consuetudinem teste Barbof. ait Idem; eò quòd similes dignitates ea mente & tacita conditione videantur à Regibus concedi, ut personali presentia & apparatu Regiam Majestatem, si opus, in publicis actibus condecorare possint. Idemque de castris & oppidis, quibus jurisdictio annexa, in feudum datis censent Sanch. loc. cit. num. 42. Molin. de *J. & J. tr. 2. d. 140. num. 15.* apud Pirh. loc. cit. contrarium verius & juri conformius sentientibus Barbof. loc. cit. num. 3. Fagn. in c. *que Ecclesiarum. de prob. num. 107.* modò non ita transeant in monasterium, ut nunquam sint reversura ad dominum juxta l. *feud. tit. 13.* eò quòd de cætero in jure nullibi prohibeatur monasteriis successio hæc in talibus feudis, & in ipsa jurisdictione, dum illam exercent per alios idoneos ad hoc, ut id quotidie praticari videmus. Porro hucusque dicta procedere ait Pirh. cum Felin. in c. *in presentia. num. 4.* testante de communi in feudis ex pacto & providentia; feudum verò paternum & simpliciter hæreditarium, quòd ad omnes transit hæredes, & est instar proprietatis, etiam in monasterium post mortem vasalli in perpetuum transire posse.

Quest. 410. An & quando succedere possunt in feudo, muti, surdi, cæci, claudi?

REsp. Omnes illi, sive sint tales nati, sive aliunde succedere possunt in omnibus feudis, etiam in quibus requiritur servitium personale, modò illud sit tale, quòd ab iis bene præstari potest, vel quòd in investitura, aut de consuetudine per alium substitutum conceditur præstari. Fachin. l. 7. c. 34. Azor. p. 3. l. 10. c. 8. cum communi juxta textum l. 2. *tit. 36.* Ubi verò tale servitium requiritur, quòd neque per se, neque per alium præstare possunt, neque permittitur illis exhiberi per substitutum, etsi excludantur à feudis, in quibus aliàs succedere deberent, nihilominus, si feuda sint magna copiosos reditus habentia, honestam ex illis præstari iis debere sustentationem dicitur. L. 1. *tit. 6. §. 2.*

Quest. 411. Qualiter in feudo succedant hæredes extranei?

REsp. in genere: In omni feudo, quòd alienari potest sine consensu domini vel agnatorum, succedunt etiam hæredes extranei; cum de tali feudo idem judicetur quòd ad hoc, quòd de aliis bonis allodialibus. Clar. loc. cit. *quest. 83. num. 1.* etsi feudum sit novum, ex quo potest illud à vasallo liberè alienari, interveniente consensu domini, possunt etiam in eo succedere hæredes externi. Clarus *ibidem.* In particulari verò de hac successione hæredum externorum, quando possint, vel non possint succedere, factis dictum est supra, ubi explicatum, quòdnam dicitur feudum hæreditarium.

Mm 2

Quest.

Quæst. 412. An & quando in feudo succedat Fiscus?

Resp. Dum publicantur bona vasalli, non confiscari simul bona feudalia, & sic in ea non succedere Fiscum, habet quidem communis, quam quamvis teneat Clar. *quæst. 84.* citans pro ea Bart. *in l. si finita. §. si de vectigalib. num. 3. ff. de damn. infect.* Alex. *in cit. §. num. 30.* Ruin. *conf. 23. num. 23. l. 1.* & alios; distinguit tamen in ordine ad hoc tria feudorum genera. Primum, de quo vasallus non potest liberè disponere sine licentia domini & consensu agnatorum, quale est feudum antiquum ex pacto & providentia, & illud nunquam venire in confiscatione bonorum; eò quòd iniquum & absurdum esset, posse vasallum hac ratione delinquendo præjudicare domino & agnatis, quibus aliàs alienando præjudicare non potest. In eo autem casu potius redire feudum ad dominum quam ad agnatos, si delictum vasalli tale est, ob quòd is eum privare feudo possit; aliàs, si tale non est, transiturum potius ad agnatos. Secundum genus feudi est, de quo vasallus potest liberè disponere cum consensu domini etiam in extraneum in præjudicium filiorum & agnatorum, quale est quodcunque feudum novum, sub quocunque tenore receptum. Sed nec hoc confiscari posse ob delictum vasalli, ob quòd aliàs ejus bona allodialia veniunt confiscanda; sed absolute & indistinctè, si delictum sit tale, ut propter illud dominus possit eum feudo privare, si non sit tale, redire ad Dominum, consolidari dominium utile cum dominio directo, absque eo, quòd filii & agnati, qui non nisi ex persona patris delinquentis poterant ad feudum pervenire, jus aliquod in eo præterdere possint, non secus, ac etiam contingeret, si vasallus sine consensu domini alienasset feudum. Tertium, si feudum est tale, ut de eo vasallus tam in præjudicium domini quam agnatorum potest liberè disponere absque eorum consensu, quale est, si concessum pro se & quibuscunque hæredibus, seu pro se, & quibuscunque ille daret, & tunc, si Fiscus idem est domini & vasalli, transire feudum cum bonis cæteris ad Fiscum; si verò Fiscus vasalli diversus est à Fisco domini, non transire illud ad illum Fiscum, si delictum tale est, ob quòd privari poterat à domino, si autem tale non est, transire adhuc ad Fiscum, & hunc in eo tanquam hæredem extraneum, non secus, ac in aliis bonis posse succedere. Ita probabiliter Clar. dicens hanc distinctionem suam videri quidem posse novam, esse tamen ipsam veritatem, si rectè ponderentur rationes & autoritates DD. in hac materia scribentium.

Quæst. 413. An & qualiter in feudo succedat fideicommissarius?

Resp. Feudum ex pacto & providentia non transit in fideicommissarium, si in illum, cui fiduciarius, seu hæres gravatus fideicommissum illud restituere debet. V. g. dum vasallus habens plures filios, uni ex illis reliquit partem hereditatis sub ea conditione, ut is decedens sine liberis partem illam hereditatis restituat alteri à se designato; in illum inquam non transit feudum illud, aut ejus pars, dum esset unus ex

filii vasalli post ejus mortem; sed in proximiorum ex vocatis ad illud in investitura; adeoque feudum aut pars illius non venit in restitutione fideicommissi. Ita quòd ad rem Clarus. *quæst. 85. num. 1. juncto num. 2.* citans pro hoc Bart. *in l. si patroni. ff. ad Trebell. num. 3.* Ripa *in l. ex factio. ff. eod. num. 17.* Jason. *in pralud. feud. num. 46. &c.* Unde etiam rectè inferri videtur contrarium, nimirum transire etiam tale feudum in fideicommissarium, ubi is esset ex comprehensis in investitura. Quam illationem tamen etiam Clar. dicat videri, & à Curt. Jun. *conf. 72. num. 6. l. 1.* dici communiter receptam, nihilominus credit non esse veram, nisi quando ageretur de præjudicio Domini, cujus non interest, apud quem ex vocatis sit feudum; non verò, quando ageretur de agnatis tali fideicommissario proximioribus. Unde censet in eo casu proximiorum ex illis agnatis posse talem restitutionem & successionem ad fideicommissarium impedire. De cæteris, dum feudum est hereditarium, nihil impedit, quòd minus transeat ad fideicommissarium. Paris. *conf. 2. num. 43. l. 1.* & alii passim. Quod ipsum tamen Clar. *loc. cit. num. 2.* cum Socin. Jun. *conf. 72. num. 22. l. 1.* intelligendum esse ait de simpliciter & absolute hereditario, quòd transit ad extraneos, & liberè alienari potest, & non de feudo hereditario mixto.

Quæst. 414. Successio feudi an continuetur ipso jure in filium aliumve agnatum proximiorum?

Resp. Quæstio hæc ferè coincidit cum illa, an possessio feudi quam vasallus defunctus habebat continuetur ipso jure in filium hæredem; si quidem successio in feudo alium non est, quam possessio feudi, quòd prius habebatur seu possidebatur ab alio. In qua quæstione pro affirmativa, seu quòd opus non sit, saltem in feudo antiquo paterno, filium hæredem de novo mitti in possessionem, Mynsing. *cent. 3. obs. 38.* citat Gl. *in c. 1. de feud. cognit. ad finem.* Præpos. *ibidem.* Bald. *in l. cum antiquioribus. C. de jur. deliber. quæst. 10.* Jason. *in l. quoties. C. de R. V. num. 32. &c.* Pro negativa, seu quòd non continuetur ipso jure possessio; sed opus sit in bonis feudaliibus, non secus ac in bonis allodialibus, actuali apprehensione, & consequenter hæc requiratur ad succedendum in illis, citat Idem Mynsing. Gl. *in l. cum miles. ff. ex quib. caus. maj.* Bald. & Alex. *in l. in suis. ff. de liber. & posthum. Zaf. conf. 30. à num. 8. l. 1.* iisque inheret, addens etiam ex Oldendot. quòd, si habitum spectemus, certissimum esse, tam dominium quam possessionem in liberis continuari mortuo parente, cum in suis hæredibus non sit necessaria aditio, quippe qui statim hæredes existant ipso jure; si verò effectus rei & actus possidendi corporalis spectetur, impossibile esse, illam continuari in liberos; quia, cum ea sit quid facti, per mortem parentis esse desit, adeoque opus sit nova apprehensione, ita ille. Verum quiquid sit de feudis pro se & filiis, in quibus hi ab intestato succedunt, saltem in feudis pro se & hæredibus quibuscunque, dum in his non succeditur ab intestato, seu successor non est hæres necessarius, sed etiam esse potest extraneus, ad succedendum actu videtur requiri

quiri absolute datio vel apprehensio novæ possessionis. Porro an & qualiter ad succedendum in feudis dignitatum Ducatus, Comitatus, &c. opus sit nova concessione, vide Clar. *loc. cit. quæst. 81.*

Quæst. 415. An in successione feudorum habeat locum jus accrescendi?

R Esp. Satis in hac quæstione tractanda confule procedere AA. ut videre est apud Clar. §. *feudum. qu. 77.* Nam primò jus accrescendi in feudo (nimirum concessio in simul pluribus) uno eorum sine hæredibus mortuo, accrescere cum Curt. Jun. simpliciter negat Clar. *loc. cit. num. 1.* eò quòd jus accrescendi in contractibus, qualis est feudum, non habet locum. Quam tamen opinionem limitat *loc. cit. num. 5.* dicendo intelligendam de feudo novo, ubi illum vide; & hoc videtur intelligere de feudis concessis à privatis. Nam *num. 3.* ait, se juxta magis communem & veriore, quam apud eundem tenet Jason in *L. si mihi & Tito. ff. de V. O. num. 6.* Socin. Jun. *conf. 73. à num. 22. l. 1.* Curt. Jun. & alii contra Cynum. in *L. unic. C. quand. non*

peten. par. circa finem, & alios; quòd in feudis à Principe (intellige, non tantum ab Imperatore, sed etiamque alio non recognoscente superiore, pro ut id ibidem cum pluribus aliis à se citatis extendit,) concessis in simul duobus vel pluribus jus accrescendi habeat locum; eò quòd, cum in aliis concessionibus Principum ita cautum reperitur de jure communi, illi etiam standum sit in feudis, ex quo non reperitur expresse dispositum contrarium jure feudorum; & hæc sine difficultate dici, si in investitura apponerentur illa verba: *Et cuique in solidum:* eò quòd ubicunque in investitura concessa est duobus & unicuique vel cuilibet eorum, procul dubio, uno deficiente, alter solus habebit totum; pro qua declaratione seu limitatione citat Bald. in *c. 1. §. fin. de success. feud. n. 4.* & Curt. Senior. *conf. 49. num. 54.* qui dicat communem & sine contradicte. Ad hæc, quòd jus accrescendi non habeat locum in feudis, intelligendum ait Clarus *loc. cit. num. 5. in feudo novo,* quem ibi vide.

CAPUT SECUNDUM.

De

Juribus & Obligationibus tam Domini directi respectu Vasalli, quàm hujus respectu Domini.

Quæst. 416. Quid juris competat domino directo ratione feudi?

R Esp. præter jus proprietatis seu directum, quod in re feudali habet & retinet post concessam illam in feudum, jus illud, quod acquirit sibi per infeudationem, consistit in obligationibus, quibus illum sibi obstrictum habet, puta, ad præstandam sibi ab eo fidelitatem & servitia aliæque, ac proinde de jure hoc, ad quæ extendat se in particulari, constabit ex dicendis paulò post de obligationibus illis in particulari.

Quæst. 417. An dominus possit vasallos suos invito alienare seu transcribere alteri, aut etiam feudum oppignorare?

1. **R** Esp. ad primum: Si sensus quæstionis, quam dictis verbis movet Clar. §. *feudum. quæst. 28.* est hic: num possit dominus dominium directum bonorum suorum, in quibus constitutum est feudum, & vasallus habet dominium utile alienare, seu in aliquem transferre, ita ut in iisdem vasallus retineat feudum, & tantum nanciscatur alium dominum, cui debeat fidelitatem & servitia eadem, quæ debebat priori, videtur, id eum posse sine consensu vasalli, utpote cui per hoc nihil decedat; cum jus ipsum vasalli, quod is habet, per hoc non alienetur. Nisi tamen foret per accidens ista mutatio domini directi ob ejus personam cederet in præjudicium vasalli. Multoque magis id procederet, ubi feudum illud, seu bona illa, in quibus illud constitutum, unà cum toto

territorio & universitate aliorum castrorum & bonorum cederet alteri, juxta quod ait Clar. *loc. cit. num. 2.* cum Paris. *conf. 23. num. 103. l. 1.* & aliis communiter. Ubi tamen negat ipsos subditos ab eo separatim alienare posse; quin &, si hoc faceret, juxta sententiam, quam tanquam veram & magis communem teneri dicit à Curt. Jun. *conf. 174. post num. 34.* privandum proprietate feudi, non secus, ac vasallus alienans feudum contra juris dispositionem cadit à feudo, sentire videtur, feudum acceptum pro re feudataria, & simul pro jure, quod habet ratione illius respectu vasallorum, sine horum consensu separatim ab aliis bonis suis allodialibus alienari non posse, utpote quorum interesse posset, hac ratione etiam cum re particulari feudo subjecta non transire ad alium dominum. De cætero

2. Resp. ad secundum: Potest dominus invito vasallo dominium directum & jurisdictionem feudi oppignorare. Clar. *loc. cit. num. 4.* cum Ripa in *L. obligatione. de pignorib. num. 46.* in quo differt à vasallo, qui non potest oppignorare dominium utile sine consensu domini.

Quæst. 418. Num dominus possit vasallis imponere collectas?

R Esp. Tametsi Comites, Barones similesque domini superiorem recognoscentes, etiam aliàs merum imperium & omnimodam jurisdictionem habentes subditis suis collectas imponere non possunt, ut Clar. *loc. cit. quæst. 19. n. 1.* cum Salicet. in *l. 3. C. veltig. instit. non poss. post n. 3.* & Paris. *conf. 25. num. 2. l. 1.* testante de communi, nisi ad summum ex speciali conventionione & ubi consuetudo sic fert pro certis casibus, quos vide enu-

meratos ab Host. apud eundem Clar. *num. 2.* eò quòd impositio hæc sit de regalibus, & sic refer-
vata supremo Principi in signum superioritatis. Etsi
etiam id possint supremi Principes, non tamen ne-
que hi neque isti videntur propriè tales, seu recogno-
scentes ab iis feuda quæ tales seu titulo feudi, (qua-
les non sunt omnes ex eo, quòd sint eorum sub-
diti; quia non omnes habent ab iis dominium ali-
quod utile eum commoditate percipiendi exinde
fructus; etsi quandoque hæc nomina vasalli & sub-
diti confundantur,) sed solùm quatenus subjectos
supremæ eorum jurisdictioni. Quamvis etiam ni-
hil obstare videatur, quò minus Barones similes-
que domini in ipsa constitutione seu collatione
feudi vasallos propriè tales obstringere possint ad
similes collectas in certis casibus præstandas.

*Quest. 419. An dominus directus possit
fructus feudi à se collati, & dein sibi
à vasallo oppignorati percipere?*

Resp. Potest dominus directus, sive is sit eccle-
sia vel monasterium, sive sit laicus, percipere
fructus feudi sibi oppignorati à vasallo, sive is sit
ecclesia, sive laicus, si interea is liberetur à ser-
vitiis præstandis, quæ aliis ei deberentur. Non
tamen potest eas tunc computare in sortem, ita ut
summa ex credito debita, ob quam facta oppigno-
ratio, pro rata fructuum perciporum decrescat,
vel etiam totum debitum extinguatur, si fructus
sortem adæquent. Et quidem prius, dum ecclesia
est domina directa, constat ex *c. 1. h. t.* de hæc &
domino directo laico indistinctè ob paritatem rati-
onis id tenent Covar. *l. 2. var. c. 1. n. 4.* Molin.
tr. 2. de 7. & 7. d. 323. num. 2. Canil. *de usur. c. 6.*
num. 4. Caspal. *tr. 32. d. 4. p. 22. num. 3.* quos
citatur & sequitur Wiestn. *h. t. num. 56.* item Pirh.
h. t. num. 20. quia si id licitum, & non continet
usuram in feudo ecclesiastico, multò magis id li-
citur erit in feudo laicali, seu dum dominus di-
rectus est laicus. Neque enim dici potest cum Gl.
in cit. c. 1. v. immunitis. Sic specialiter constitutum
in favorem ecclesiæ, & hanc constitutionem con-
tinere privilegium datum ecclesiæ: quia, cum usura
sint prohibita jure naturali & divino, non potest lex
positiva super illis dare privilegium, seu dispensare in
hoc potius cum ecclesia quàm laico; præsertim cum
usura magis detestanda sit in ecclesiasticis quàm
laicis; ita Pirh. *loc. cit.* cum Fagn. *in cit. c. 1. n. 4.*
& seq. Sed neque in hoc discrimen faciendum;
an fructus excedant, an adæquent, vel non adæquent
servitia; cum *cit. c. 1.* absque distinctione dicatur,
fructus non esse computandos in sortem in casu,
ubi vasallus liberatur à servitiis. Ratione etiam
hujus petita ex conditione feudi, quòd cum ab
initio gratis datum, ut fructus quantumcunque
amplos vasallus percipiat, si servitia præstet, &
nullos percipiat, si nulla præstet servitia, hi quan-
ticunque sint, à domino feudum sibi oppignora-
tum detinente sine injuria vasalli ex vi primæ insti-
tutionis feudi seu contractus percipi poterunt, dum
nulla ab eo præstantur servitia. Ita tenent Abb. *in*
c. conquestus. de usur. num. 2. Barbof. *in c. 1. h. t.*
num. 2. Zoëf. *ad hanc. rub. n. 6.* Pirh. *h. t. n. 19.*
in fine. Wiestn. *cit. n. 56.* Quemadmodum etiam
ex hac feudi natura sumitur, quòd hæc perceptio
fructuum, etiam excedentium servitia, non sit usura:
dum nimirum ex natura feudi consequitur, quòd
sicut æquum est, ut vasallus, quamdiu sine sua

culpa, & consensu domini feudo seu potius per-
ceptione fructuum caret, sit immunitis ab obsequiis;
ita etiam vicissim iniquum non sit, quòd dum re feudi-
dali ex ipsius voluntate existente penes dominum
oppignorantem, immunitis est à servitiis illis, fructus
non percipiat. De cætero ex his à contrario
patet, perceptionem fructuum ex pignore dato ob
mutuatam pecuniam fore usurariam, dum hi qua-
lescunque percipiuntur, & tamen etiam præstan-
rentur servitia consueta, si fructus non computa-
rentur in sortem; uti eos computari posse in sor-
tem, si simul præstentur servitia, deducitur ex *cit.*
c. 1. dum ibi dicitur, non teneri Episcopum eos
computare in sortem. Dum autem Pirh. *cit. n. 20.*
ait, quòd in feudo emptio, seu pecuniâ comparato
illa perceptio fructuum, si non computetur in sor-
tem, excusari non possit ab usura, intelligendum
illum velle: etiam si servitia non præstarentur; quia
aliàs nihil peculiare diceret; cum etiam in aliis feu-
dis non emptitiis juxta dicta sit usurarium, si præ-
stitis obsequiis non computentur in sortem per-
cepti fructus. Uti etiam intelligendus venit, dum
addit, quòd si feudum curæ & industriâ vasalli red-
ditum fructuosius, quàm fuerat tempore primæ
investituræ, æquitas ratio suadet, ut dominus di-
rectus loco pignoris id detinens, non lucretur fru-
ctus integros illius, sed tantum eos, qui ex illo
percipiuntur tempore, quò primò constitutum;
excessus verò reliquorum fructuum vasallo cedat,
nimirum etiam, ubi nulla obsequia præstat.

*Quest. 420. Ad que è contra dominus
obligetur vasallo ratione feudi?*

Resp. Hæc ferè sunt sequentia. Primò tenetur
dominus præstito sibi à vasallo fidelitatis jura-
mento, eundem illico mittere in possessionem; &
si in hoc moram fecerit, omnem utilitatem, quam
interea habuisset vasallus, eidem præstare juxta
clarum textum *l. 2. tit. 7.* & quòd si intra debitum
tempus negaverit investituram, privari illum pro-
prietate feudi, etsi dicant Guido Papa & Barbof.
testantes de communi apud Clar. *loc. cit. quest. 49.*
num. 7. is tamen id videri nimis rigorosum ait;
præsertim cum pœna privationis secundum regu-
las communes non debeat imponi nisi in casibus
in jure expressis. Secundò si in re aliena eum in-
vestivit, sive scienter, sive ignoranter, præstare ei
evictionem, *l. 2. tit. 8.* modo vasallus post motam
litem, ut se defendat, debitè monuerit, *l. 2. tit. 25.*
ipseque vasallus tempore investituræ nesciverit,
feudum sibi conferendum esse rem alienam, *cit.*
tit. 25. & 8. ubi: qui rei alienæ sciens investitu-
ram acceperit, nisi pacto speciali sibi prospexerit,
de evictione agere non poterit. Tertio debet re-
ciprocè fidelitatem, (non tamen juratam, eum id
in nullo jure cautum reperitur. Clar. *l. c. qu. 70.*
dicens sic totum mundum servare,) juxta quòd di-
citur, *c. 18. caus. 22. qu. 5.* dominus quoque fideli
suo in his omnibus vicem reddere debet, quòd si
non fecerit, censetur malè fidus. Quarto tene-
tur vasallum defendere sicut vasallus dominum &
adjuvare etiam contra patrem, filium & fratrem
suum. Clar. *quest. 27.* cum Decio *conf. 469. n. 4.*
& aliis. Quintò debet facere vasallo justitiam, &
si id non fecerit, privari illum proprietate feudi
ait Clar. *quest. 68.* cum Belvisio.

*Quest. 421. Quale jus competat vasallo
ratione feudi?*

Respond. Jus hoc consistere præcipuè in domini
utili, quòd vasallus habet in re sibi in feudum
con-

concessa, & in iure, quo sibi recipere obstrictum habet dominum ad præstanda sibi eo jam dicta. Ac denique in potestate, quâ plura potest circa feudum resque feudales. De quibus nunc in specie.

Quæst. 422. An & qualiter vasallus possit feudum seu res feudales alienare?

1. Resp. primò: Potest vasallus feudum tam novum quam antiquum alienare licitè & validè cum consensu domini directi. Rosenth. de feudis. c. 9. conclus. 28. Pirh. h. t. num. 17. cum communi. Ac ita passim supponunt AA. dum negant id fieri posse sine consensu domini, & habetur c. unic. §. celsi clientulus. de alien. feud. l. 1. tit. 13. & L. unic. §. similiter de lege Corradi. l. 2. tit. 34. & in c. unic. de prohib. feud. alien. per Lotbar. & in c. unic. de prohib. feud. alien. per Frider. Sufficitque hunc consensum esse tacitum, ut si dominus alienationi præsens non contradixerit. Rosenth. loc. cit. n. 3. Pirh. loc. cit. & alii passim cum Gl. in c. 1. de prohib. feud. per Lotbar. v. ipsorum permissu; quam communiter sequuntur & approbatam dicunt AA. apud Clar. quæst. 31. num. 31. eò quòd, ubicunque quis contradicendo actum impedire potest, præsentia cum taciturnitate operetur consensum, ut Clar. quamvis is addat id procedere, quando dominus sciens alienationem factam per notabile tempus, puta, per annum tacuit, aliàs fecus. Sufficit item hunc consensum subsequi; nimirum si alienatio fiat, salvo iure directo domini, & reservato ejus consensu, seu ad ratificationem illius, & sub clausula: si dominus consenserit. Clar. quæst. 31. num. 5. sub sublimitatione mox subjicienda Reiffent. h. t. n. 129. bene dicens hujusmodi clausulas & reservationes consensûs domini tunc rectè fieri in alienatione feudorum, quando hic & nunc dominus præsens non est, & interim circumstantiæ urgent alienationem, ipseque dominus & agnati præsumuntur postea consensuri. Estque ratio, quòd talis clausula impediatur omne præjudicium domini; cum sine resolutivæ seu potius impeditivæ alienationis, ita ut consensu domini non subsequente, alienatio non subsistat & vasallus dicendus sit non alienasse, adeoque non incidisse in pœnam commissi. Limitat hæc Clar. cum Baldo in L. unic. C. de his qui pœna. num. 56. & Jason in L. non solum. §. morte. ff. de oper. nov. nunc. num. 27. nimirum seclusa traditione ante consensum domini re ipsa posita; eò quòd illud factum traditionis videatur contrarium tali protestationi, nisi tamen (pro ut Clarus cum Bald. & Ripa, l. 3. responsor. c. 1. num. 3. sublimitat hoc ipsum) vasallus protestatus fuerit, se alienare salvo consensu domini, & non aliter, nec alio modo: eò quòd protestatio istis verbis duplicatis relevet, ut vasallus non amittat feudum, etiam secuta ante consensum domini traditione, etsi non efficiat, ut valeat alienatio consensu illo non secuto. De cætero, patitur hæc responsio hanc exceptionem: quòd vasallus etiam cum expresso consensu domini feudum alienare nequeat in præjudicium agnatorum ex tenore investituræ vocatorum in feudo antiquo & paterno; quia jus iis quæsitum & proveniens, non ex ipso facto patris seu alienantis, sed ex antiquorum majorum provisione adimi nullo modo potest per ullum ex successoribus. Uti cum Socin. Jun. cons. 112. num. 1. l. 2. Paris. cons. 17. num. 1. & aliis testantibus de verissima, communi & ab omnibus approbata hac sententia tenet Clar. quæst. 41. num. 1. & 2. Dico tamen: in feudo antiquo & paterno: nam feudum novum sub quo-

cunque tenore receptum (fortè receptum expressè contemplatione alicujus ex filiis vel descendentibus specialiter proprio nomine in investitura nominati) semper potest ad libitum alienari per feudatarium cum consensu domini, nec requiritur consensus filii primogeniti alterius agnati, qui aliàs successurus esset in feudo, ut cum And. de Isernia c. 1. n. 3. de alien. feud. patern. docet Clar. loc. cit. num. 2. dicens communem; eo quòd quis acquisivit, possit pro sua voluntate alienare.

2. Resp. secundò: Vulgaris regula in materia feudorum est, quòd à nullo vasallo feudum, sive sit novum, sive antiquum, neque licitè, neque validè alienari queat sine consensu domini, ita etiam, ut si id attentarit, feudum amittat. Zas. in epitom. feud. p. 9. num. 3. Clar. qu. 31. num. 1. Rosenth. de feud. c. 9. conclus. 1. Pirh. h. t. num. 15. cum communi, juxta quòd expressè statuitur in c. Imperialem. de prohib. feud. alien. per Frideric. l. 2. tit. 55. ubi irrita declaratur omnis alienatio feudi facta sine consensu domini, & pœna privationis feudi transgressoribus decernitur, constitutione hac fundata in ea ratione; quòd alienatione feudi facta sine consensu domini, is videatur contemni, c. unic. §. fin. que fuit prima caus. benef. amit. l. 2. tit. 24. Atque ex his jam sequitur, quòd, si vasallus alienavit generaliter omnia bona sua, quæ habet in tali loco, in tali alienatione non veniant bona feudalia, nisi quòd ad illa habuerit consensum domini & agnatorum, ut cum communi Clar. qu. 31. num. 10. Sequitur item, quòd cum alienationis nomine in materia feudali veniat omnis contractus seu actus, per quem dominium vel jus ali-quod reale, seu in re constitutum, transfertur in alium, ut Pirh. citatis variis textibus ex Lib. feud. lib. 1. non poterit vasallus sine consensu domini, non tantum non alienare feudum alienatione onerosa, sed neque gratiosa. Sic itaque primò non potest vasallus sine consensu domini disponere in testamento de feudo, instituendo hæredem in eo, vel legando illud, nulloque modo valet talis institutio. Socin. Jun. cons. 72. post num. 40. l. 1. Clar. quæst. 40. num. 1. Pirh. h. t. num. 16. cum communi. Et quamvis velint aliqui valere dispositionem talem testamentariam, dum feudum non est purè ex pacto & providentia, sed mixtum, nimirum pro se & hæredibus, & consequenter filius tale feudum consequi nequeat; eò quòd tunc filius utpote hæres illam defuncti voluntatem infringere nequeat, ea maneat in valore; ait tamen Clarus loc. cit. num. 2. quòd, dato hoc verum esse, ubi ageretur de præjudicio filii vel agnatorum, non tamen verum sit, ubi agitur de præjudicio domini, dispositio testantis vasalli nullius sit valoris vel momenti, nulla respectu hujus præjudicii consideratione, an feudum sit purè hæreditarium, an mixtum, sive novum, sive antiquum, modò non sit purè hæreditarium, de quo paulò post. Quin & addit Clar. etiam respectu agnatorum non valitaram dispositionem testamentariam vasalli, saltem in eo casu, quando filius vel agnatus adivit hæreditatem vasalli de feudo testantis cum beneficio inventarii, (secus, si eam adivisset sine beneficio inventarii, non quia alienatio testatoris per illam aditionem revalidaretur, sed quia adendo sibi præjudicasset,) eò quòd talis confectio conservet filio vel agnato hæredi sua jura, & possit non obstante aditione, alienationem de feudo factam per defunctum revocare, etiam, dum tale feudum esset hæreditarium. De quo postremo vide eundem q. 42.

num. 14. Atque ex his sequitur, non posse vasallum legare feudum etiam pro anima sua. Clar. loc. cit. num. 4. juxta c. 1. §. donare. qual. olim feud. alien. pot. ita etiam, ut sic legato feudo, legatario non debeatur aestimatio illius, uti aliàs ea debetur, quando legatur res aliena. Clar. loc. cit. cum Bald. in cit. §. donare. & Socin. Jun. conf. 72. num. 60. l. 1. dicente communem. Item sequitur, non tantum non posse patrem prælegare feudum uni ex filiis, sed nec plus ex feudo uni filiorum quam alteri; eò quòd providentià legis statutum, ut omnes filii æqualiter succedant in feudis. Clar. l. c. n. 5. cum Zasius de feud. in 8. part. in 3. part. vers. Et hanc partem. Item sequi videtur, feudum antiquum non posse computari in legitimam, uti tradit Gail. l. 2. obs. 154. num. 15. citans Alex. in L. si patroni. ff. ad Trebell. & conf. 29. num. 4. vol. 5. & alios; cum non sit pars hæreditatis, de qua testari potest.

3. Secundò non potest vasallus donare feudum inter vivos vel mortis gratià sine consensu domini, excepto feudo purè hæreditario, de quo paulò post, alienare ut habet communis. Et in specie non potest dare illud in dotem, v. g. pater filie, cit. c. 1. §. donare. l. 2. tit. 9. qual. olim. Zas. in 9. part. num. 40. Clar. quest. 38. num. 1. Rosenth. c. 9. concl. 8. Pirh. h. t. num. 16. cum communi. Est enim talis donatio quædam alienatio; cum apud vasallum dotantem non maneat, sed dominium ejus vel saltem naturalis possessio transeat ad maritum. Et si vasallo ne quidem permissum est sine consensu domini alienare feudum urgente magna necessitate propria etiam famis, nisi esset fortè fame periturus, & dominus requisitus nollet consentire, aut dominium utile acquirere, ut Clar. loc. cit. quest. 31. num. 11. citatis Bald. & Curt. Jun. multò minùs id ei permissum pro filia dotanda. Potest nihilominus mulier ipsa habens feudum, se ipsam dotando, dare & assignare illud marito in dotem sine consensu domini. Clar. quest. 36. qui tamen illud sic limitat: modò concurrerent hæc duo, nimirum ut feudum detur in dotem inæstimatam, & non apponatur de lucrando pactum, quæ duo si concurrerent in dotatione filie facta à patre, et si difficile sit allegare concludentem rationem diversitatis, tamen in praxi sequendam sententiam contrariam tanquam communem. Rosenth. c. 9. concl. cit. c. 9. concl. 9. n. 10. Pirh. cit. n. 16. qui tamen etiam ait, tutius esse, ut saltem consensus domini requiratur. Cujus ratio est, quòd in hoc casu feudum non censetur alienari; cum mulier dominium utile & possessionem feudi civilem retineat, & ad eam soluto matrimonio pleno jure revertatur; eaque præmortuà ad maritum non transeat, isque durante matrimonio fructus & utilitatem ex dote percipiat ad familiam ipsamque uxorem alendam. Rosenth. Clar. Pirh. LL. cit. Quò etiam spectat, quòd commoditas rei feudalis, quæ transit in hoc casu in maritum sine consensu domini alienari possit, ut Bart. in L. si is qui. ff. de pignor. num. 2. Clar. loc. cit. Gail. l. 1. obs. 117. num. 7.

4. Tertio feudum seu res feudalis sine consensu domini oppignorari nequit. Clar. quest. 35. Pirh. loc. cit. cum communi juxta clarum textum c. imperialem. de prohib. feud. alien. per Frideric. Et licita olim oppignoratio feudi usque ad dimidiam, pro ut habetur c. 1. in pr. de alien. feud. pater. indistinctè tamen & in totum est prohibita teste Claro loc. cit. Unde etiam in generali bonorum omnium

hypotheca seu obligatione, sive tacita, sive expressa non continentur bona feudalia, et si specialiter non sint excepta. Pirh. cit. num. 16. citans Rosenth. c. 9. conclus. 13. & Clarum, quest. 31. num. 10. ubi is non loquitur de oppignorazione, sed de alienatione omnium bonorum. De cætero tamen ob simplicem oppignorationem non incidere vasallum in caducitatem feudi, nisi etiam procedat ad traditionem, uti etiam est in alienatione alia, ait Clar. quest. 35.

5. Quarto non potest vasallus bona feudalia elocare ad longum tempus; quia talis elocatio est quædam species alienationis secundum dicta aliàs; et si id possit ad modicum tempus sine consensu domini juxta l. 2. tit. 9. & ita cum Baldo & communi tenet Clar. quest. 33. num. 1. Idem est de emphyteusi; & quidem juxta magis communem, ut cum Gl. in cit. c. imperialem. v. seu alienatio. Curt. Jun. & aliis Clar. loc. cit. num. 3. ex ea ratione, quia in emphyteusi contingit vera alienatio domini utilitatis. Monet tamen Clar. num. 4. quòd licet ita sit, in puncto juris, hodièdum generali consuetudine vasalli pascua, terras incultas concedant in feudum, intellige, sine consensu domini, & talem consuetudinem toleratam excusare vasallum à pœna caducitatis, quam aliàs de jure incurrit propter rei feudalis concessionem in emphyteusim.

6. Quintò neque rem feudalem permutari posse cum alia re feudali vel etiam allodiali; quia permutatio continet alienationem, habet communis.

7. Sextò non potest vasallus sine domini consensu transigere super feudo, si transigendo seu vi transactionis feudum tranfiret in alium; scèus, si vi transactionis retineret feudum; siquidem quamdiu vasallus retinet feudum; non præjudicat domino. Clar. quest. 28. cum citatis à se Bald. in c. 1. num. 16. de contro. vasall. inter & alium. & Paris. conf. 1. num. 134. l. 1. dicente magis communem.

8. Septimò neque potest compromittere in arbitratorem super feudo sine consensu domini, in quo convenire omnes ait Clar. quest. 39. eò quòd nullo servato juris ordine arbitrator procedat ex æquo & bono; adeoque fieri posset, ut feudum per arbitratorem adjudicaretur alteri; vasallus autem, cui interdicta est omnis feudi alienatio, facere nequit actum, ex quo resultaret alienatio. Quæ ratio, quia non videtur militare in eò compromisso facto coram arbitris, utpote qui tenentur servare jura, ac insuper id videtur concedi per textum, c. 1. §. si inter. de lege Conrad. plures sentiunt contrarium, nempe posse vasallum liberè in eos compromittere super feudo. Quin & Curt. Jun. apud Clar. qu. 39. dicit hanc videri mentem communem feudalistarum. Nihilominus addit Curt. hanc opinionem esse multàm dubiam & periculosam. Clar. etiam cum Socin. conf. 77. num. 70. & seq. l. 1. expressè dicit oppositum, nempe, quòd in arbitros etiam compromittere nequeat vasallus, esse sententiam tutiorem & revera communiorem ex ea ratione; quòd de qua re quis liberè disponere nequit, etiam de ea facere non possit compromissum. Idque videtur, ideo; quia ex tali compromisso, etiam servatis juribus, sequi posset alienatio. Unde non placet, quòd addit Clarus; fortè posse vasallum compromittere, si ex tali compromisso non posset sequi transitus rei feudatarie in alium, nisi simul de hoc certus esset vasallus; cum aliàs semper exponeretur periculo alienationis.

9. Octavo feudum antiquum alienari nequit per renunciacionem factam in extraneum sine consensu domini & agnatorum: neque per factam in dominum ipsum sine consensu agnatorum, aut etiam domino invito, saltem ubi ejus interest non renunciari; cum feudum sit contractus ultro citroque obligatorius, adeoque non debeat esse in facultate unius ab eo recedere altero invito. Alex. in L. si quis vi. §. fin. num. 14. ff. de acquir. possess. Clar. quest. 39. num. 1. quamvis is ita distinguat, ut procedat, quando servitium certum præstandum, secus, si incertum aut nullum, citatis quam plurimis pro hac distinctione. Quæ tamen distinctio per hoc satis videtur elisa, quod dictum: saltem ubi ejus interest. Uti etiam invito domino renunciatio fieri non potest in feudum, ut si perceptis totius anni fructibus, tunc primum renunciare velleret, quando dominus iturus ad bellum opera & servitii vasalli, maxime egeret. Reiffent. h. t. num. 148. citatis Mynsing. centur. 5. obs. 65. & Engels h. t. num. 45. Et quanquam facta sine consensu domini in externum, aut facta sine consensu agnatorum in dominum teneret, teneret tamen tantum, quousque vasallus renuncians vivit, & eo mortuo feudum redit ad proximos agnatos, ac si nunquam renunciatum fuisset, juxta l. 2. vir. 26. §. Titius. Reiffent. h. t. num. 150. secus est de feudo juxta dicenda paulo post. Sed neque in renunciacione generali hæreditatis veniunt feuda antiqua. Gail. l. 2. obs. 154. num. 6. cum Decio conf. 295. num. 8. & Bald. in L. item videndum. §. fin. ff. de petit. hered.

10. Nonò etsi possit vasallus sine consensu domini constituere servitutem realem aliudvè onus jure feudali, quantum est in præjudicium sui, ut habet communis, non tamen in præjudicium domini aut agnatorum, qui successuri sunt in feudo, ita etiam, ut eveniente casu, quo feudum aperiretur domino, aut etiam agnatis, extingueretur omne onus illi impositum per vasallum. Clar. quest. 37. citatis Alex. conf. 18. post num. 5. l. 3. Paris. conf. 88. l. 4. Beroo, quest. 95. num. 1. dicente communem. Atque ita non posse vasallum constituere usum fructum in re feudali ait Clar. loc. cit. num. 2. cum Curt. Jun. eò quòd usufructus sit pars domini utilis, & vasallus etiam partem illius nequeat alienare. Verùm quomodo dici potest pars domini utilis, cum juxta dicta supra vi usufructus nullum dominium ne quidem utile transferatur in usufructuarium, sed sola commoditas percipiendi fructus, quam transferri ad tempus vitæ suæ à vasallo in alium sine consensu domini & agnatorum quid vetat; cum per hoc neque domino, neque agnatis creetur ullum præjudicium; & quòd commoditas feudi alienari possit, tanquam communem cum Ruino conf. 176. n. 13. l. 1. & aliis docet Clar. quest. 31. num. 9.

11. De cætero hæc responsio de feudo non alienando patitur exceptiones. Et primò quidem extra dubium videtur, posse feudum alienari sine consensu domini & cæterorum agnatorum in proximum agnatum, seu in illum, qui aliàs succederet immediatè vasallo mortuo. Clarus in additionib. quest. 31. addit. fin. Secundò, si feudum constitutum & acquisitum pro se & heredibus. Vultej. l. 1. c. 10. num. 91. Clar. quest. 31. num. 8. cum Decio, Curt. Jun. & communi, juxta expressum textum l. 2. feud. vir. 48. Quamvis in hoc casu dici nequeat, quòd feudum alienetur sim-

R. P. Lentr. Jur. Can. Lib. III.

plicitè sine consensu domini, cum, ut Clar. censetur statim ab initio universaliter consensum suum cuicumque alienationi præstitisse. Et sic extendit se hæc exceptio ad omne feudum simpliciter & absolute hæreditarium; nulla habita ratione, an sit antiquum, an novum. Clar. quest. 4. num. 3. non verò ad feudum mixtum, ut idem ibidem. Tertio potest alienari sine consensu domini per subinfeudationem, de quo dictum factis supra, ubi quænam res dari possint in feudum, & quanam feudum concedere possint. Quarto si alicubi viget consuetudo alienandi feuda sine consensu domini, ea valet. Clar. cit. quest. 31. n. 12. cum Curt. Jun. conf. 158. num. 8. dicens esse magis communem, ex ea etiam ratione, quòd in cæteris omnibus, quæ respiciunt feuda, consuetudo vincat legem, & pro lege habeatur.

Quest. 423. Quid juris competat domino & agnatis, dum feudum male seu in præjudicium eorum est alienatum?

1. Respond. primò: Feudum male alienatum in præjudicium domini, quia nimirum facta sine ejus consensu alienatio revocari nequit ab eo; quia ipso jure est nulla juxta c. imperialem. de prohib. feud. alien. per Frideric. & dicta supra. Si male facta alienatio feudi, nimirum antiqui patris purè in præjudicium agnatorum, consentiente nimirum domino, etsi non sit ipso jure nulla, sed teneat, quamdiu alienans vivit, eoque mortuo redit sine ulla refusione pretii ad filium, vel, si eo careat, ad proximum agnatum vasalli alienantis, nisi is sciens per annum tacuerit, pro ut hæc dicuntur, l. 2. vir. 26. §. Titius. potest tamen alienatio, vasallo adhuc vivente revocari à filio, restituito tamen pretio, si quod alienans accepit. A proximo verò agnato non nisi post mortem alienantis, pretio non restituito; ita Clar. quest. 42. n. 1. qui tamen hoc posterius ita distinguit n. 6. ut possit etiam proximior agnatus vivo alienante revocare alienationem, si ea facta jure non permittente, (qualiter fieri dicitur, dum alienatur sine consensu domini in casibus, in quibus à jure vel consuetudine non permittitur alienatio sine consensu domini,) secus verò, seu revocari non possit vivo alienante, si alienatio facta jure permittente, (hoc est, interveniente consensu domini,) tunc enim valet alienatio, etsi facta in præjudicium agnatorum. Et quidem hæc ipsa procedere ait Clar. sine difficultate juxta opinionem, quæ tenet feudum antiquum propter alienationem non aperiri domino, sed agnatis, de quo paulo post, & quidem in utroque casu non teneri agnatum restituere pretium, addit. Clar. num. 7. eò quòd nullo casu, ubi feudum ad agnatum devolvitur ex providentia primi investiti videatur æquum, ut ipse teneatur rem suam pretio redimere. De cætero huic revocationi locus non est in feudo merè hæreditario; cum tale feudum sit alienabile ad instar bonorum allodialium. Clar. quest. 47. num. 2. Neque etiam in feudo mixto, aut etiam simpliciter ex pacto & providentia, si tale feudum est novum; cum & hoc per vasallum alienari possit in quemcunque alium;

Nn

secus

secus si illud sit antiquum, ut ibidem Clarus Hanc etiam revocationem, dum aliis ei locus est, facere non possunt remotiores agnati, dum facta in eum, qui absque eo post mortem alienantis in feudo ei successurus erat. Clar. loc. cit. n. 4. cum Belvisio in c. imperialem; si autem alienasset in agnatum remotiorem possunt filii revocare modo dicto, vel illis deficientibus, proximior agnatus. Clar. n. 5. Et quidem in hac revocatione filii, si sint, præferendi proximiori agnato, si alienatio facta jure permittente. Agnatus verò præferendus filio, si alienatio facta jure refragante. Si tamen alienatio facta in extraneum (intellige eum, qui non sit comprehensus in investitura, etsi aliis agnatus ipsius alienantis) filii & agnati pariter admittuntur ad revocandam hujusmodi alienationem. Clar. num. 9.

2. Resp. secundo: Si facta malè alienatione, puta, in remotiorem, proximior taceret per annum, & per annos 30. si facta in externum, omnino excidit feudo, & consequenter jure revocandi alienationem, ut cum Gl. in cit. §. Titius. v. per annum; quam communiter receptam dicit Alex. conf. 15. num. 10. l. 5. Decio & aliis Clar. qu. 42. num. 10. qui etiam num. 11. conatur reddere rationem, cur minus tempus requiratur ad revocandam alienationem factam in remotiorem, quam factam in extraneum. Possunt nihilominus proximior feudum hac ratione malè alienatum non revocante, ab ita eo excidente, revocare ceteri agnati, etiam postquam is, in quem alienatum multis annis id possedit, non quidem vivente illo proximior negligente illud revocare; eò quòd illo vivente agere nequeant; impedito autem agere non currit præscriptio, sed mortuo, ita Reiffent. h. r. num. 127. citato Fachin. l. 7. num. 12.

3. Resp. tertio: Competit quoque agnatis jus retractus, si feudum antiquum absque eorum consensu venditum, ita ut etiam vivente vasallo venditore recuperare possit proximior agnatus, vel eo nolente, etiam remotior, si nempe idem pretium, quod alter dedit, offerat. Reiffent. h. r. num. 128. Arg. l. 2. tit. 9. §. porro. & tit. 26. §. Titius. juncto tit. 3. De servandis verò in tali retractu vide dicta supra de empt. & vendit. Ubi tamen proximior agnatus consentit alienationi facta à vasallo se præterito, consensus ille præjudicabit filio consentientis, quò minus is recuperare possit feudum, (etiam, ut videtur, vi retractus,) si filius ille est hæres consentientis, aut aliquid habiturus ex ejus hæreditate; cum hæres non possit retractare voluntatem defuncti, adeoque nec retractare factam ab eo alienationem, (quod tamen intelligendum de hærede, qui adivit hæreditatem sine beneficio inventarii, dum aliis beneficium inventarii conservet hæredi omnia jura & actiones, ac si non adivisset hæreditatem. De quo vide Clar. loc. cit. n. 14.) secus, si non sit hæres, nec aliquid habiturus de hæreditate; tunc enim, non obstante patris consensu, feudum alienatum recuperare poterit; ita Clar. loc. cit. num. 12. cum Curt. Jun. dicens, sic communiter solere feudalistas distinguere. Porro dum extant agnati proximiores, remotiores & medii gradus, ipsius alienantis, consensus proximioris in alienationem factam in remotiorem non præjudicabit mediis agnatis, quò minus hi revocare possint alienationem & feudum recuperare; cum enim iis quoque sit jus quasitum tenore primæ investituræ, id iis sine eorum culpa, facto alterius auferri nequit; ita Clar. loc. cit. n. 13. cum Curt. Jun. dicens magis communem.

Quæst. 424. An feuda dividi possint à possidente illa?

Resp. Feuda majora, ut sunt Ducatus, Comitatus, etiam consentientibus consortibus dividi non possunt Arg. c. 1. §. præerea Ducatus. de prohib. feud. alien. per Frider. Imp. Socin. conf. 178. num. 1. & 2. Curt. Jun. de feud. 4. part. princip. in caus. ult. privat. feud. quæst. 30. quos citat & sequitur Clar. quæst. 44. num. 1. eò quòd sic constitutum videatur in favorem & honorem Imperii, ne scilicet talia feuda majora, quorum dignitatis titulus provenit ab Imperatore, diminuatur & destruantur. Quamvis addat idem Clar. n. 2. quòd quidquid sit de jure, communiter in Italia & certis Germaniæ partibus aliisque Provinciis omnia feuda, etiam dignitatum, præter regalia dividantur; & hanc consuetudinem ubi & in quibus feudis viget, servandam. Inferiora verò feuda, non habentia dignitatem annexam dividi possunt juxta cit. §. præerea Ducatus, Clar. loc. cit. num. 1. cum Socin. & comm.

Quæst. 425. Quid possit vasallus circa excidendas arbores in fundo feudali?

Resp. Ubi vasallus possit absolute disponere de feudo, puta, quia est simpliciter hæreditarium, vel feudum novum, possit excindere arbores illas; cum cui licet, quòd plus est, nimirum alienare feudum, multo magis licere debet, quòd minus est, puta, incidere arbores in fundo feudali. Clar. qu. 47. Qui tamen bene monet, hæc intelligenda, quantum ad præjudicium filiorum & agnatorum, qui successuri sunt in feudo; quò ad præjudicium autem domini cavendum vasallo, ne malè versetur in re feudali; cum ex ea causa possit feudo privari. Nequit tamen id ipsum, ubi feudum est tale, de quo pro libitu suo disponere nequit; eò quòd etsi sit dominus utilis rei feudatariæ, non tamen sit absolute & irrevocabiliter dominus, cum post mortem restituendum feudum successorì vocato ad illud. Clar. loc. cit.

Quæst. 426. An quando & qualiter teneatur vasallus petere investituram?

1. Resp. primò: Quotiescunque contingit mutatio, sive ex parte domini, ut dum is moritur aliove modo privatur dominio directo bonorum, in quibus feudum constitutum, illudque transit ad alium. Sive ex parte vasalli, ut dum eo mortuo aliterve privato feudo, in eo succedit alius, est obligatio petendi de novo investituram seu renovationem ejus petita & concessa dum primitus constituebatur & conferebatur feudum; præstandique denuo debitum juramentum fidelitatis, ne aliàs feudum fiat caducum, l. 2. feud. tit. 24. Curt. Jun. de feud. 4. part. in 23. caus. amitt. feud. Clar. quæst. 49. num. 1. cum communi. Ratio communiter assignari solet, quòd petere investituram sit devotionis & reverentiæ, quam vasallus domino debet. Aliam addit Clar. (quæ tamen respicit specialiter præstationem juramenti & casum mutati vasalli,) nimirum quia virtus & ob-

& obligatio juramenti non egreditur personam jurantis, ideo hæc repetitio juramenti & recognitionis erat necessaria ad hoc, ut specialius & efficacius ex proprio juramento obstringatur domino vasallus successor; licet vasallus antecessor jurasset fidelitatem pro se & successoribus suis. Sed & necessaria illa renovatio respectu successoris in dominio directo; cum nisi juramentum specialiter fuerit præstitum domino mortuo & ejus successoribus, vasallus superstes non obligabitur successori domino sine dicta renovatione. Et licet ea necessaria non esset, dum idem ille vasallus jurasset fidelitatem domino demortuo, & specialiter etiam ejus successoribus; adhuc tamen investitura renovanda in signum recognitionis, ut scilicet vasallus illum in dominum, & hic illum in vasallum admittat. *Clar. cit. num. 1. in fine.* Quod si tamen dominus directus decessit relictis pluribus hæredibus, vasallum non teneri ab omnibus petere investituram, & singulis præstare juramentum fidelitatis, ut sentit *Zaf. de feud. in 7. part. vers. ceterum si dominus*; & quidam alii, sed sufficere quod ab uno eorum petatur & uni juret, tanquam communiore, & quæ in praxi servetur, tenent *Arctin. in l. 2. notab. 2. ff. de V. O. Jafon. in l. de pupillo. §. si plurimum. num. 6. ff. de nov. oper. nunc. & alii apud Clarum, qu. 49. num. 11.* iis consentientem, ac testantem, se vidisse sic semper servari, uti etiam ita servari testatur *Zafius loc. cit.* putat tamen *Clarus*, quod quidem, dum hæreditas est apud plures indivisa, cogi non possit vasallus, ut omnes, ac ita plures habeat dominos; non posse tamen etiam irrequiritis illis pro libitu suo unum ex illis eligere, cui juret, ut docet *Arctin.* Sed debere illum petere ab iis, ut unum ex ipsis sibi designent dominum: quod ubi non fecerint, tunc ipse possit sibi eligere, quem mallet, in dominum, & ei jurare.

2. De cætero extenditur necessitas illa petendi renovationem investituræ ad casum, in quo unus agnatorum transfert partem feudi sui antiqui, super qua jam investitus, in alium agnatum jam investitum super sua parte ejusdem feudi, ita ut hic acquirens teneatur novam investituram petere pro illa parte, utpote pro qua illa nunquam adhuc institutus. Secus verò, si ei portio illa obvenisset jure accrescendi, puta, quia alter ille agnatus nondum agnita sua portione decessit, aut eam non petitam investituram debito tempore amisit: eò quod tunc ea portio respectu acquirentis non tam sit nova portio, quam habitæ ab eo partis augmentum, pro ut hanc distinctionem tradi communiter ab AA. ait *Curt. Jun. 4. part. ult. caus. amitt. feud. in 3. reg. apud Clar. loc. cit. num. 12.* qui tamen illam non approbat, sed dicit se consulturum, quod vasallus, qui pro parte tantum fuisset institutus à domino, & jurasset pro parte nova quomodocunque ei delata debeat tempore facere recognoscere se investiti, ac novum juramentum pro ea domino præstare. Quod tamen juramentum fidelitatis, (uti & in genere quotiescunque præstandum,) præstari potest à vasallo per procuratorem, habentem ab eo ad hoc speciale mandatum. *Clar. R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III.*

l. c. num. 13. cum *Bald. & Belvisio* dicentibus esse communem.

3. Resp. secundò: Petenda de novò illa investitura & præstandum juramentum intra annum & diem (intellige, à vasallis privatis; vasalli enim milites habent annum & mensem, ut *Clar. loc. cit. num. 2.* dicens hanc distinctionem esse communem juxta textum expressum in *c. 1. quo temp. miles*), cujus temporis ita definiti nullam aliam rationem assignari posse ait *Clar. loc. cit. n. 1. in fine*, quàm quia moribus ita receptum. Incipit autem hoc tempus currere vasallo superstiti non nisi à die scientiæ probabilis de morte domini, ita ut annus ille à principio sit utilis, & post scientiam continuus. Vasallo verò novo à die, quo is possessionem ipsius rei feudalis adeptus, & probabiliter scivit, vel scire potuit rem esse feudalem, ita ut nisi hæc duo concurrant, vasallus videatur facillè excusandus ab amissione feudi ob non petitam investituram, pro ut sentit *Clar. num. 3.* Porro non currit hoc tempus impuberi, etiamsi habeat tutorem, ac ita masculo non nisi post annum 14. feminæ tamen etiam non nisi post 14. annum, & non statim à pubertate, hoc est, ab anno 12. *Bald. in cit. c. imperialem. §. praterea. num. 2. Clar. loc. cit. num. 4.* Poterit tamen vasallus minor 25. annis, ubi intra dictum tempus neglexit petere hujusmodi renovationem investituræ, petere restitutionem in integrum adversus lapsum hujus temporis à lege præfixi; ut *Clar. num. 5.* cum *Gl. in cit. §. praterea. v. annis. Molin. de consuetud. Paris. feud. §. 1. Gl. 7. n. 2.* & aliis, dicens communem. Quia beneficium hoc de jure concessum est minoribus, *l. 1. rotogue iit. ff. de minorib.* & jure feudali non reperitur iis ademptum. His non obstante, quod in delictis (quale est neglectus investituræ juxta *l. 2. tit. 24.* ubi omissio petitionis investituræ dicitur vitium ingratitude,) non sit locus restitutionis in integrum; cum id tantum intelligendum de delictis, quæ fiunt dolosè committendo, non verò de iis, quæ fiunt culpabiliter omittendo. Ubi verò vasallus intra debitum tempus petiit à domino renovationem investituræ, & is eam facere noluerit, non nocebit id ei. *Clar. num. 7.* quin & propter hoc potius ipsum dominum privandam proprietate feudi, tradunt plures apud eundem, cui tamen id ipsum videtur nimis rigorosum. Sed neque vasallus feudo privandus ob non petitam investituram, si intra illud tempus non possideat feudum. *Clar. num. 8.* Item si dominus post tempus definitum recepit vasallum ad solita servitia & usum consuetum, videtur ei remisisse hanc quasi ingratitude, & illum recipiendo ut vasallum tacite juri suo renunciasse. *Clar. num. 10.* citatis pluribus aliis. Quod si tamen in casu non petita investituræ ex negligentia privandus feudo, adhuc non cadit feudo ipso jure, sed requiritur sententia declaratoria domini. *Castrenf. conf. 84. num. 3. l. 2. Socin. Jun. conf. 115. n. 22. l. 1. Curt. Jun. conf. 242. num. 11.* & alii, quos citat & sequitur *Clar. loc. cit. num. 6.* item *Gail. l. 2. obs. 40. num. 10.* Quin &, si vasallus per annum & diem fuerit negligens in petenda investitura, posse brevi tempore purgare moram, æquum videtur *Claro n. 9.* contrarium apud eundem sentientibus *Baldo & Belvisio.*

4. Resp. tertio: Quamvis de jure communi hæc nova investitura concedenda sit gratis; cum in libris feudorum nullum vestigium appareat, quod pro renovatione investituræ seu nova investitione aliquid

aliquid solvi debeat, communi tamen ferè locorum omnium consuetudine introductum esse, ut pro nova investitura in recognitionem domini aliquid præstetur, quod relevium vocatur, ait Reiffenst. *b. r. r. 14. ex Schmid. ad tit. 12. a. 8. Jur. Bavar.* Quod etiam in hoc casu distinguitur à Laudemio, quod hoc præstetur tantum, quando fit mutatio emphyteutæ; relevium autem solvi debeat tam, quando fit mutatio ex parte domini, quam quando fit ex parte vasalli. In quo autem consistat, particularis cujusque loci consuetudo attendi debet.

Quæst. 427. In quibus ad fidelitatem & reverentiam exhibendam domino obligetur vasallus?

Respond. Eni rari ea omnia in *can. de forma. caus. 22. quæst. 5.* cujus textus etiam habetur *l. 2. feud. tit. 6.* & legi possunt apud Reiffenst. *b. r. r. num. 110.* Tenetur quidem exhibere reverentiam domino, sed non eam quæ consistit in non vocando eum in jus sine ejus ad hoc petita venia; ita Clar. *quæst. 25. cum Alex. in L. generaliter. ff. de in jus vocand. num. 7.* attestante de communi, eò quòd in consuetudinibus feudalibus non fit locus istis ambagibus; contrarium tamen tenente Molin. *loc. cit. §. 1. Gl. 4. post num. 36.* argumento ducto à liberto, cui id non licet respectu domini; quòd regulariter alias valet à libertis ad vasallos.

Quæst. 428. Ad quæ obligetur vasallus quò ad dominum adjuvandum, tuendum, alendum & liberandum è carcerere?

1. **R**esp. primò: Vasallum teneri dominum adjuvare & defendere contra omnes, habetur *c. 1. quib. mod. feud. amitt. & quidem sumptibus propriis, nisi sit impotens, dicit cum Alex. in L. recusare. §. si quis alio. ff. ad Trebell. Clar. qu. 21. num. 1.* etiam contra proprium patrem, filium, fratrem suum. Clar. *num. 4.* juxta expressum textum, §. *fin. in tit. hic finitur lex.* & communem, ut *Zaf. de feud. in 7. part. c. 4. num. 10.* Non tamen tenetur illum adjuvando & tuendo, præponere illius salutem propriæ salutis, ut cum communi Clarus, *quæst. 21. num. 3.* contra Gl. *in l. 1. §. eodem autem. ff. ad Sillan.* communiter reprobata, quatenus loquens de servis, arguit contra vasallos, ut teneatur salutem dominorum præponere propriæ. Sed neque tenetur dominum egenum alere, nisi ad summum in hisce duobus casibus; nimirum quando dominus ex facto & culpa vasalli ad inopiam pervenisset; vel quando vasallus abundaret divitiis, maximè si eæ provenirent ex ipsa re feudali, ut Clar. *quæst. 22.* cum communi, intelligendo id, quòd ad hoc cogi posset vasallus, non tamen feudum amitteret, si id non fecerit.

2. **R**esp. secundò: Justè incarcerati domini liberationem non teneri vasallum procurare habet communis. Sed intelligendum videtur de incarcerato ob delictum; cum, qui injustè deliquit, justè plectatur. Incarceratum tamen injustè, vel etiam justè ob debita, maximè ubi ea contraxit ex culpa vasalli, tenetur liberare, saltem impendendo pro liberatione operam, si non pecuniã, ut esse regulam dicit Clar. *quæst. 24. num. 1.* & licet Molinæ, *in consuetud. Paris. feud. §. 30. num. 146. in*

fin. dicat, quòd non observetur, quòd ad hoc cogi possit, aut id non faciendo feudum amittat, ait tamen Clar., se nunquam vidisse contrarium.

Quæst. 429. An vasallus obligetur rem in feudum acceptam meliorare, aut saltem non deteriorare?

1. **R**esp. primò: Non obligari vasallum ad rem feudalem meliorandam, nisi id specialiter cautum in investitura. Ita probabilis Castrop. *tr. 33. d. 9. p. 5. num. 2.* cum *Rebell. p. 2. de obligat. Just. l. 13. quæst. 2. in fin.* contra *Sarmient. l. 3. select. interpret. c. 4. Fachin. l. 1. controvers. c. 92.* Unde etiam finito sine culpa vasalli feudo, factæ citra obligationem meliorationes non cedunt domino sed vasallo ejusvè hæredibus, ut cum Gl. *in L. sed si quid. ff. de usufruct. v. rescicere.* & Baldo *in L. servatus. §. Marcell. de legat.* & aliis *Castrop. loc. cit. Laym. l. 3. tr. 4. c. 23. num. 7.* *Rebell. loc. cit.* vide de hoc dicta supra de emphyt.

2. **R**esp. secundò: Teneri tamen vasallum rem feudatariam non deteriorare; aliàs contrahit obligationem compensandi domino, quantum ejus intererat eam non esse deterioratam, *L. divortio. §. feudum. ff. soluto matrim. Jason. conf. 17. l. 1. col. 1. Ruin. conf. 38. l. 5. num. 1.* *Laym. loc. cit. c. 8.* & alii, quos citat & sequitur *Castrop. loc. cit. num. 3.* posseque vasallum ideo privari feudo, ait *Castrop. num. 4.* & de vasallo Ecclesiæ non esse dubium; quia expressum in *c. Federicus. §. quicumque. de pace tenenda.* De feudo quoque seculari idem esse; cum nulla sit ratio specialis, cur ob deteriorationem privetur feudatarius ecclesiæ, & non feudatarius secularis. Quod autem dicitur de emphyteusi, quòd ut ob deteriorationem privetur ea emphyteuta, debere eam contingere culpâ emphyteutæ saltem levî, & deteriorationem debere esse notabilem, idem dicendum videtur de feudo & feudatario. Item, quòd, dum plures res datæ in feudum, & deterioratio contingit in una non exinde reliquæ eximantur à commisso, & iis vasallum privari non posse, dici nequit; cum, etsi res sint plures, constituunt tamen unum feudum, adeoque unâ deteriorata, dici potest feudum deterioratum. Ut hæc de emphyteusi asserit *Castrop. loc. cit. num. 7.* citatis aliis. Ac denique sicut emphyteuta tenetur facere eos sumptus, qui necessarii sunt, ne res deterioretur, & propterea nihil detrahare potest de canone, ita etiam dicendum de vasallo. *Castrop. loc. cit.* citatis *Rebello, ubi supra. quæst. 3.* *Molin. tr. 2. de f. & f. d. 457.* *Laym. cit. c. 27. num. 7.*

Quæst. 430. An vasallus teneatur solvere tributa aliaque onera realia rei feudatarie imposita?

Resp. Idem quòd ad hanc obligationem dicendum de vasallo, quòd dictum supra de emphyteuta. *Castrop. loc. cit. p. 6.* quæ proinde vide. Ut etiam idem dicendum de præstando domino obsequium à vasallo, quòd dictum de solvendo ab emphyteuta canone. *Castrop. loc. cit. p. 8.* quem vide.

Quæst.

Quæst. 431. An filius habens feudum paternum teneatur satisfacere creditoribus patris ex ipso feudo?

REsp. Tam etsi filius non adiens hæreditatem paternam non teneatur satisfacere creditoribus paternis, prout indubitatum iudicat Clar. q. 43. n. 1. ubi tamen adiit hæreditatem cum beneficio inventarii, & feudum non est hæreditarium, non tenetur ultra vires hæreditatis paternæ ex ipso feudo solvere; quia hoc habet ex pacto & providentia primi acquirentis, & non tanquam hæres;

nec aditio hæreditatis debet ei obesse, & confectio inventarii conservat ei omnia jura sua integra, Clar. loc. cit. num. 2. Si verò feudum est merè hæreditarium, tenetur ex ipso feudo satisfacere creditoribus; idque etiam si sollemniter confecerit inventarium; cum enim tale feudum sit instar aliorum bonorum allodialium hæreditariorum, & in bonis hæreditariis confectio inventarii non proficit hæredi. Clar. loc. cit. contrarium esse; dicens in feudo non simpliciter hæreditario, sed mixto, in quo censet confectioem inventarii prodesse hæredi.

CAPUT TERTIUM.

De Probatione Feudi Causisque feudalibus diducendis & Feudi Caducitate.

Quæst. 432. An & qualiter in dubio vasallus teneatur probare rem esse allodiale?

REsp. primò: In casu, quo dominus asserit rem aliquam esse feudalem, possessor verò illius asserit esse allodiale, hic non tenetur probare allodialitatem; in dubio enim res præsumitur allodialis, cum feudum sit species servitutis, quæ non præsumitur. Gail. l. 2. obs. 69. n. 4. & seq. Clar. q. 18. dicens hanc esse vulgarem, quam sequantur omnes. Sed neque, dum quis accepit investituram de castro & omnibus pertinentiis, adhuc incumbit tali vasallo onus probandi rem aliquam, quam possidet in territorio illius castri esse allodiale, cum adhuc præsumatur allodialis, quamdiu dominus non probat esse de pertinentiis ad castrum. Host. in c. nimis. de iurejur. Clarus loc. cit. num. 2. dicens communem. Cujus contrarium tamen sentire videtur. Gail. loc. cit. num. 7. dum ait: Concesso castro cum pertinentiis, omnia, quæ sunt in territorio censentur pertinentiæ, & quidquid est intra fines Comitatus, præsumitur esse de Comitatu. Item dum quis ut vasallus servivit præstando servitia personalia per longum tempus, puta, decennium, non præsumitur adhuc titulus vasallagii seu homagii; sed ad hoc requiruntur anni 30. cum effici aliquem vasallum alterius sit res magni præjudicii; ita cum Bart. in l. solent. §. fin. num. 9. ff. de off. procons. Clar. q. 19. num. 1. adeoque contrarium non tenetur probare vasallus talis. Ut etiam qui se pro vasallo habet, non tenetur probare præcessisse solennem concessionem feudalem, dum rem ut feudalem per decennium possedit; quia id præsumitur ex lapsu tot annorum. Clar. ibidem. num. 2.

Resp. secundo: Feudum novum probari non potest nisi per Pares curiæ, hoc est, convasallos ejusdem domini, aut per Breve à Paribus confirmatum, ne quid falsitatis in præjudicium & perniciem domini excogitetur aliis testibus inductis, qui fortè pecuniâ corrupti sint per textum c. 1. §. idcirco. de novo feudo. & c. 1. §. novam. qui test. sint necess. ita Gail. l. 2. obs. 50. à num. 4.

Quæst. 433. Proximioritas in ordine ad succedendum in feudo an & qualiter probanda?

REsp. Agnati volentes succedere ultimo vasallo, necessariò originem feudi, ex quo modo ipsi à

communi stipite & primo acquirente feudum descendant, probare debent, ita ut aliàs non sufficiat agnationis & gentilitatis qualitas allegata, & gradus prærogativa (intellige non probata. Gail. l. 2. obs. 149. num. 5. Unde num. 6. monet, ut providi sint agnati, ut majorum investituras accuratè & diligenter custodiant, & lineam originemque feudi, adeoque primum acquirentem sollicitè observent, cum in hujusmodi feudis antiquis agnatis non jus, sed probatio desit. l. dno sum. ff. de testam. tuel. Sicut autem antiquitatem, ita etiam plenè proximioritatem probant libri genethliaci, quos magna & primariæ nobilitatis familiæ asservant, in quibus continua serie originem & successiones gentilium describunt, si in archivio familiæ in honesto loco, apud viros omni exceptione majores custodiantur. Arg. c. ad audientiam. de prescrip. & ibi Abb. uti & in c. cum causam. de prob. num. 1. Bart. in l. 1. ff. si cert. petat. & alii, quos citat & sequitur. Gail. loc. cit. num. 7. qui etiam num. 8. idem dicit quò ad vim illam plenè probandi cum Innoc. in c. 1. de prob. n. 1. in fine. de scripturis antiquis etiam lapidibus & columnis incisus.

Quæst. 434. Libri feudales an sint authentici, habeantque rationem legis & allegari possint ad decisionem causarum?

REsp. Libri seu consuetudines feudales, postquam ab Imperatoribus, quorum & leges condere, in variis locis confirmatae & ratificatae, ut colligitur ex l. 1. feud. tit. 13. quin & à summis Pontificibus consuetudines in eis contentæ approbatae. Arg. c. ceterum. de judic. & c. ex transmissa. de for. comp. Dein in scholis publicè prælectæ, & longissimo ac immemoriali orbis totius usu receptæ & practicae non possunt non dici & esse authenticae, facereque plenam probationem, & eadem, quæ leges aliæ scriptæ autoritate pollere, adeoque non minus quam hæc ad decisionem causarum adhiberi possunt. Ac ita contra Host. in sum. de immunit. Eccl. §. in quantum. & paucos alios tenent Fachin. l. 7. contro. c. 2. Zaf. in epitom. feud. in pr. Belvisio in c. 1. §. fin. de his qui feud. dare poss. q. 1. cui, si ulli alii, in materia feudorum credendum ait Marant. Spec. aur. part. 3. num. 84. Marant. ibidem ipse. Clar. §. feudum. q. 3. n. 1. Pirh. h. t. n. 27. omnes testantes de communi, & ubique practitari solita. Et quidem causæ feudales

deciduntur per jura feudalia; & dein, ubi casus non reperitur decisus per jura feudalia, recurrimus ad jus commune. Arg. c. 1. *ne feud. cognit.* & ibi Jacob. de Belvis. Jafon. in l. 1. *de jur. emphyt. tit. 15.* Alex. conf. 15. col. 3. vol. 4. quos citat. & sequitur Marant. loc. cit. num. 86. Et tunc, ubi jura communia præcisè, non tractant de feudis, recurrimus ad jura loquentia de emphyteusi; arguendo à similibus ad similia. Marant. loc. cit. cum Bald. cum valeat argumentum de emphyteusi ad feudum, ut Idem cum Jafon. Corn. & aliis. Dum autem dicitur; cessante jure feudali recurrendum ad jus commune, intelligendum id de jure canonico in casu, in quo illud variaret à jure civili, propter juramentum, quod interponitur in feudo per vasallos, ait Marant. num. 88. dicens illud esse singulare dictum Baldi in c. *imperiale*. §. *fin.* col. 3. *de prohib. feud. alien. per Frideric.* quem sequatur Alex. conf. 5. col. 4. vol. 5. in pr. & Felin. in c. *in caus. de testib.* col. 3. in fine. Nihilominus libros & consuetudines feudales allegari non posse extra materiam feudalem, tradit Clar. loc. cit. q. 3. vers. *Et hæc quidem.* cum Bart. in l. *ut jurisjurandi.* §. *si liberi.* ff. *de oper. libert.* & Curt. Jun. conf. 65. num. 15. dicente communem. Quin & in ipsa materia feudali non nisi capitula ordinaria, quæ l. 1. & 2. continentur, usque ad capitul. 58. inclusivè habere dictam auctoritatem, & allegari posse. Cætera autem Libri 2. capitula extraordinaria, utpote non publica auctoritate, sed operâ Cujacii & quorundam aliorum adjecta dubiæ esse auctoritatis, & non ita usu recepta; unde tunc tantum valeant & allegari posse, quando cum capitulis prioribus ordinariis conveniunt, & eorum explicationem faciunt, vel quando casum non decisum in ordinariis continent cum Strickio in exam. *juris feudali.* c. 1. *quest. 22.* notat Reiffent. h. t. num. 42. De cætero has Leges feudales obligare Ecclesias & personas Ecclesiasticas tanquam communem tradunt Curt. Jun. *de feud. in 1. part. in princ. quest. 2.* Clar. cit. *quest. 3. vers. sed nunquit.* Marant. loc. cit. num. 93. citans Bald. in c. *cæterum.* de *judic.* col. 1. Felin. in c. 2. *de rescrip.* col. 23. Alex. conf. 10. col. 11. l. 5. ex ea ratione, quod ratione feudi Ecclesia & Clerici subjiçantur domino laico. Idem tenet Pirh. h. t. num. 27. in fine. sed ita limitat, ut procedat in iis juribus, ut feudilibus, quæ generaliter loquuntur; cum hæc videantur approbata ab Ecclesia, quando Canones expressè non contradicunt; non verò in illis, quæ nominatim & specificè de Ecclesiis & earum personis rebusque illarum disponunt in præjudicium earum; cum sint contra immunitatem & libertatem Ecclesie, adeoque damnata & abolenda. Arg. c. *cum terra de eccl.* qualia, quia sunt, quæ excludunt clericos & monachos à successione in feudis, non habent auctoritatem, ac proinde in hoc servandi canones clericos & religiosos non repellentes à feudis, ut Felin. in c. *in presentia.* de *prob.* num. 44. Fagn. in c. *que Ecclesiarum.* tit. eod. num. 95. & seq. citati à Pirh.

Quest. 435. Cause feudales coram quo Judice tractandæ, & à quo decidendæ?

1. Resp. primò: Dum controversia est super feudo inter dominum & vasallum, Judices

sunt Pares curiæ. Gail. l. 1. *observ. 1. num. 54.* Clar. *quest. 90. num. 1.* juxta c. 1. §. *præerea.* de *prohib. feud. per Frider.* Eliguntur illi Pares à partibus, ita ut Dominus primò eligat unum aut plures, quot voluerit, dein vasallus eligat totidem juxta numerum à domino probatum Gl. in *cur. §. præerea.* v. *Pares curia.* Belvis. *tr. de feud. in verb. Et dicti vasalli post num. 10.* Clar. loc. cit. num. 2. ut ajunt, cum communi; possuntque cogi ad judicandum. Clar. num. 3. cum Belvis. loc. cit. & communi. Et licet dicto modo eligantur à partibus, habent tamen eo ipso, quòd eligantur, jurisdictionem ordinariam in causis feudilibus ex lege; ideoque coram illis proceditur servato juris ordine; libellus exhibetur, lis contestatur, juratur de calumnia, fiunt probationes, & in causa tandem concluditur; ita Gail. loc. cit. num. 55. citatis pluribus. Nec recusari eos posse, maximè de jure civili, quo Judex ordinarius recusari nequit juxta L. *nemo C. de jurisd. omni. judic.* & L. *apertissimi. C. de judic.* asserit Zas. *de feud. p. 2. num. 25.* contra Afflictis apud Gail. loc. cit. num. 58. Et ubi dominus est laicus, & vasallus clericus, hi pares cognoscere possunt de causa, etiam num ipse clericus pri-vandus sit feudo. Clar. loc. cit. num. 4. citatis Innoc. in c. *verum.* de *foro comp.* Alex. conf. 79. l. 1. *circa pr.* Ripa in c. *decernimus.* de *judic.* post num. 21. vers. *intellige.* cum respectu feudi Clericus & Ecclesia Laicis subjiçantur, quamvis, ut habet Marant. p. 4. *dist. 11. num. 7.* citans c. *verum.* de *for. comp.* Judex Ecclesiasticus contra laicum cognoscit de causa feudali, ubicunque laicum tenet ab Ecclesia.

2. Resp. secundò: Dum controversia est inter ipsos vasallos de feudo, quod ad se pertinere uterque contendit, iique sunt Duces, Comites, Barones immediatè subjeçti Imperatori, & feudum est Imperii, non Pares curiæ, sed Imperator inter eos Judex est juxta c. 1. *apud quem controvi. feud. term. debet.* Curt. Jun. *de feud. in 7. part. in 1. reg.* attestans de communi feudistarum. Clar. cit. *quest. 90. num. 5.* Gail. l. 1. *observ. 29. num. 1.* Spectare nihilominus posse istiusmodi causas jure præventionis immediatè ad Cameram; eò quòd illa per modum contractus ex ordinatione Cameræ cum Cæsare concurrentem jurisdictionem habeat; adeoque Cæsarem quò ad justitiæ administrationem in causis civilibus repræsenteret, voceturque judicium Cæsaris; unde, si partes prius Cameram quam Cæsarem adeant, & citationem petant, posse eam jure præventionis decerni, & causam ibidem agitari juxta c. *cum plures.* de *off. deleg. in 6.* & Anchar. *ibidem.* num. 2. testatur Gail. loc. cit. num. 2. & 3. citatis aliis.

3. Resp. tertio: Dum controversia est inter vasallos inferiores, non super ipso feudo vel re feudali, dominus non est Judex inter ipsos. Clar. loc. cit. num. 5. cum Curt. Jun. in 2. *part. in 2. reg. vers. septimò fallit.* & communi Canonistar. Si verò est super ipso feudo controversia, dominus directus est Judex competens inter illos juxta *cit. c. 1. §. præerea si inter.* Estque hæc jurisdictionis domini respectu causæ concernentis rem ipsam feudalem ordinaria, quippe à lege collata. Clar. num. 6. cum Curt. Jun. loc. cit. q. 8. dicente communem. Quòd si tamen unus vasallorum opponeret contra dominum declinatoriam, negans se

se esse vasallum, dominum cognoscere non posse, num sua sit jurisdictio, sed super hoc cognoscere debere Judicem aliis ordinatum, & comperto, quod conventus sit vasallus, causam remitti debere decidendam ad dominum, tanquam communem astitit Curtius *loc. cit. q. 7. cum Gl. fin. in c. 1. de investit. in mari facta.* quod tamen in puncto juris non carere difficultate, ait Clar. *n. 70.* eò quod de jure communi Judex, coram quo opponitur declinatoria, semper cognoscat, num jurisdictio sit sua, etsi in praxi obtinere contrarium sit difficile, maxime quia revera majus est interesse domini, qui cognoscere debet & judicare, num quis sit vasallus suus, quam Judicis ordinarii. Quamvis, si excipiens sit in quasi possessione vasallagii, Clar. omnino se inclinare dicat, quod dominus ipse cognoscere debeat, vel saltem Pares curiæ. Porro hæc ipsa, quod dominus in dicto casu sit Judex ordinarius, procedere quoque, dum vasalli sunt clerici & dominus laicus, communem (saltem dum feudum non habetur ab Ecclesia secundum dicta *Resp. 1.*) dicunt Marian. *in c. ex transmissa. de for. comp. in §. limit.* Felin. *in c. verum. eod. post. num. 3.* Curt. *loc. cit. q. 2.* Clar. *loc. cit. num. 8.* eò quod, ut dictum paulò supra, Ecclesia & clerici ratione feudi, saltem non Ecclesiastici, subjiciantur domino laico, prout de consuetudine attestantur Archid. *in s. unic. de Cleric. conjug. in c. Guido Papa decis. 139.* & de magis hodie dum communi Legistarum & Canonistarum, ideoque sequenda. Clar. *cit. num. 8. in fin.* semper, ut addit, salvo judicio Ecclesiæ Romanæ. Et quidem procedit sine distinctione; sive agatur inter vasallos clericos de proprietate ipsius feudi, sive de possessione illius, ut Bald. *in c. ceterum. de judic. Aretin. ibidem. col. 4.* & Decius *post num. 66.* Clar. *loc. cit. num. 9.* eò quod, ut Idem, regulariter ille debeat esse Judex in causa possessionis, qui est Judex competens in causa proprietatis. Sed neque possunt vasalli de feudo litigantes prorogare jurisditionem alterius Judicis sine licentia ipsius domini, Bart. *in l. 1. ff. de judic. num. 2.* Alex. *in l. 1. §. post oper. ff. de oper. novi nunc. num. 21.* Curt. Jun. *loc. cit. num. 5.* Marant. *p. 4. dist. 12. num. 19.* quos citat & sequitur Clar. *cit. q. 90. num. 20.* eò quod, cum talis jurisdictio specialiter à lege tributa domino, non potest consensus partium contra privilegium à jure concessum quicquam operari, non secus, ac clerici non possunt, etsi velent, consentire in Judicem laicum in præjudicium juris Ecclesiastici. Secus dicendum, si res, super qua litigant vasalli; non esset feudalis, sed alia; tunc enim possent prorogare jurisditionem alterius domini. Vide Clarum *cit. num. 10.*

4. *Resp. quartò:* In causis feudalibus dari appellationem tam à paribus quam à domino, certum est juxta *c. 1. in tit. quo temp. mil.* Mynsing. *cent. 5. obs. 5.* Gail. *l. 1. obs. 1. num. 56.* & in ea observanda omnia itatuta à jure communi, nimirum ut fiat gradatim, intra decendum &c. Mynsing. Gail. *LL. cit.* Fit autem ad proximum superiorem, si sit, si autem non sit, appellandum ad dominum tribunalis, nempe ordinarium, cui res subjecta est. Mynsin. Hinc, si dominus est persona Ecclesiastica, dirigenda appellatio ad superiorem illius Ecclesiasticum; si secularis, ad secularem ex quo enim is subjectus ordinario loci, ad hunc spectat corrigere inferioris Judicis iniquitatem. AA. *in cit. c. ceterum.* cujus sententiam prævaluisse in Camera dicit Mynsin. Cæterum si dominus

feudi directus nolit vel non possit exercere jurisditionem, tunc ad ordinarium conventi devolvitur jurisdictio, nisi sit dominus superior mediatus, qui sicut supplet & corrigit iniquitatem sententiæ, à qua appellatum, ita etiam negligentiam domini nolentis judicare. Mynsin. *l. c. cum Abb. l. c.*

5. *Resp. quintò:* Re conventio quoque in causis feudalibus coram Paribus curiæ locum habet; cum, ut dictum, sint Judices ordinarii. Gail. *cit. obs. 1. num. 59.* citatis And. de Isernia *in c. 1. de contrrov. feud. apud par. term. num. 1.* Afflic. *ibid. n. 4.* Zasio *de feud. p. 2. n. 25.*

Quæst. 436. Quid sit feloniam, an & qualiter ob eam vasallus privetur feudo?

1. *Resp. primò:* Felonia vox barbara, feudalisticè usitata in genere significat delictum in dominum directum commissum à vasallo, ob quod is privandus venit feudo. *L. 2. feud. tit. 37.*

2. *Resp. secundò:* Ob feloniam commissam ipso jure privatur vasallus feudo quò ad dominum illius. Gail. *l. 2. obs. 21. n. 1.* Rosenth. *de feud. c. 10. concl. 3.* quò ad possessionem verò feudi amittendam requiritur processus & sententia declaratoria commissæ feloniam, & hinc incurse privationis feudi, ita ut causæ cognitio citato vasallo, ad videndum se commississe feloniam præcedere, eaque probatâ sententia declaratoria sequi debeat per textum *c. 1. de feud. sine culp. non amitt.* Afflic. *ibid. n. 13.* Alex. *cons. 103. n. 16. vol. 1.* Bald. *in c. 1. §. publici latrones. de pace tenenda.* & alii, quos citat & sequitur Gail. *l. c. item Rosenth. l. c. & Clar. q. 62.* idem dicens de omni alia causa, ob quam amittitur feudum eò quod, ut Grammat. *decis. 15. n. 8.* ait: Omnia jura mundi disponentia pro aliquo crimine ipso jure imponi pœnam, intelligenda esse; modò secuta fuerit sententia declaratoria, quâ declaretur, illud crimen fuisse commissum, aliàs pœna non poterit habere executionem seu effectum suum. Nihilominus limitanda responsio ita, ut non procedat in vasallo, qui comisit feloniam notoriam actu permanentem, quo casu dominus de facto sine sententia posset occupare feudi possessionem. V. g. si vasallus sit in notoria rebellionem actu persistente contra dominum. Gail. *l. c. n. 8.* eò quod in notorio facti permanentis probatio in contrarium non admittatur, ut Idem cum Afflic. *in c. 1. §. si quis dominum. notab. 2. n. 6. de pace tenend.* adeoque nec opus sit sententiâ declaratoria; quales plures casus, in quibus in notorio non requiritur sententia declaratoria, recenset Felin. *in c. cum non ab homine de judic. n. 10.* De cætero ad probandam ingratitude erga dominum requiri testes quinque omni exceptione majores, ait Clar. *q. 60.* per expressum textum. *c. 1. quot test. sint necess. ad prob. quem textum et si Molinæ;* cum quibusdam aliis dicat non esse authenticum, & non servari, contrarium tamen, esseque legem, & pro lege servari debere, & ita teneri communiter, asserit Clar. *loc. cit.* cum Belvisio & Bertrand.

Quæst. 437. Quanam in specie sint delicta, ob quæ amittitur feudum?

1. *Resp.* Delicta hæc triplicis sunt generis, dum aliqua directè in dominum committuntur; alia indirectè offendunt illum; alia nec directè nec indirectè dominum tangunt; quia tamen multum infamant, seu gravem infamiam juris inferunt,

ferunt, impediunt, quò minus vassallus honestè in curia domini cum aliis stare possint & habentur. *L. 1. feud. tit. 5. 17. 21. l. 2. tit. 3. 5. 6. 7. 14. 17. §. fin. & tit. 26. §. vassallus.*

2. Ad primam classem spectant, in vassallum injicere violentas manus domino, aut contra eum gladium stringere, etiam vulnere non secuto. Eidem veneno aliove modo insidias struere. Castrum, domum aliave bona domini vi aggredi. Fœdus aut amicitiam cum hostibus domini inire, intellige, in perniciem domini; secus de inita ad alium effectum, prout hoc ipsum limitat Clar. *q. 54.* hoc enim non esset contra fidelitatem. Dominium sine jussu Magistratûs criminaliter accusare, aut famosa aliqua actione pullare, aut in simili causa agere testem, aut advocatum contra dominum, si feudum neget; Circa quod notat Clar. *quest. 59.* non cadere vassallum à toto feudo, si neget partem seu certa prædia, sed tantum à parte illa negata. Uti etiam non censetur feudum negasse, ita ut incidat in pœnam privationis contestando litem, & negando narrata, uti narratur si arcana Domini dolosè revelet. Si eum in acie deferat; si non præstet debita servitia, & agat contra contenta in juramento fidelitatis. Vassallum tamen non cadere à feudo, pro quo præstanda certa pensio ob eam per biennium vel triennium non præstitam, tanquam communem cum Alex. *conf. 9. num. 3. l. 3.* & aliis astruit Clarus *q. 51.* cum ea à jure non numerentur inter causas feudum amittendi, & universaliter loquendo, si inferat domino gravem aliquam injuriam aut lationem in bonis corporis, famæ, fortunæ; item si vassallus sciens circa hæc bona imminere domino periculum, eum de hoc non certificavit, ubi potuit, vel etiam tale periculum, ubi potuit, non fuit amolitus. Huc etiam refert gravem deteriorationem rei feudalis Molina *in consuetud. feud. Parisiens. §. 80. quest. 166.* cum aliis; idque exemplo emphyteuseos. Quam tamen sententiam sibi nunquam placuisse ait Clar. *q. 56.* eò quòd, cum feudum sit quasi donatio respectu domini utilis, non debeat esse in consideratione, etiam notabile damnum, quod facit vassallus in re feudali citra præjudicium domini directi. Secus tamen censet, si vassallus dissiparet vel dilapidaret majorem vel meliorem partem rei feudalis. Qualiter verò ob alienationem feudi factam sine consensu domini eo excidat vassallus, dictum satis est in antecedentibus. Illud porò circa hæc omnia notandum, cum Claro *q. 61.* vassallum non amittere feudum, si coactus fecerit contra dominum pro quo citat Gl. *in c. 1. §. porò. qua fuer. prima caus. benef. amitt. & Gratum conf. 5. num. 13. l. 2.* Idem est de metu justo cadente in constantem virum. Secus tamen esset, si cessante vi aliave causâ metûs, pergeret offendere dominum. Clar. *loc. cit. num. 2.* Item cum eodem *quest. 53.* notandum quòd, si vassallus habens rem in feudum à pluribus, unum ex illis offendat, non cadat à toto feudo, sed tantum pro illa parte, quæ respicit dominum offensum. Arg. *c. 1. de vassall. qui cont. constituunt. Lothar.* ubi verò feudum à pluribus in solidum teneret, rem non transmuturam sine difficultate, ait *ibid.* Clar.

3. Ad secundam classem spectant si vassallus adulterium committeret cum uxore domini; per textum *c. 1. §. 1. quib. mod. feud. amitt.* Quod ipsum extendit Clar. *quest. 8.* cum Ilermia *ad cit. §. 1.* ad vassallum committentem stuprum cum

uxore domini vidua; secus, si commiscecretur cum ea, postquam transit ad secunda vota; idem extendit Reiffenst. *h. t. num. 153.* ad neptem, nurum, sororem domini, etiam dum eis commisce-ri attentat. Si vassallus committeret scienter aliquid cedens in gravem injuriam personarum specialiter pertinentium ad dominum juxta *l. 2. tit. 7.* huc etiam reducit Reiffenst. *loc. cit.* si vassallus subditos crudeliter tractaret, aut nimium gravet, vel emungat.

4. Ad tertiam classem spectant crimen læsæ majestatis, latrocinium, & quæcunque gravia crimina irrogantia gravem infamiam juris.

Quest. 438. Qualiter Ecclesia privetur feudo ob delictum Prælati?

RESP. Feudum annexum dignitati Ecclesiastica Prælati eam possidens, si unum ex recensitis delictis committit, non amittit absolute Ecclesia, sed Prælati quò ad fructus & redditus, quamdiu is vivit, vel est in dignitate, redit ad dominum directum, etiam laicum; Prælati autem delinquente mortuo, vel deposito, aut resignante, dominium utile à Domino redit denuo ad Ecclesiam seu successorem in Prælatura (idem est de alio beneficiato habente feudum annexum suo beneficio) prout expressè & specialiter disponitur *l. 2. feud. tit. 40. §. item.* Rosenth. *loc. cit. concl. 3. num. 3.* Pirh. *h. t. num. 14.* Quòd si tamen feudum ad mensam Prælati & Capitulum simul pertinet, solo Prælati delinquente, non totum feudum, sed ex parte tantum competente Prælati proportionaliter quò ad dictos fructus & redditus amittitur. Alex. *in c. verum. de for. compet.* Rosenth. *loc. cit. n. 1.* ex ea ratione, quòd, ut dicitur *l. sanctimus. C. de pœnis.* peccata suos teneant auctores, nec ultra progrediantur metus quam reperitur delictum. Unde etiam, si solum deliquisset Capitulum, id non præjudicaret Prælati, sed Capitulum solum privaretur. Sua parte, quamdiu membra talia viverent, iisque mortuis, rediret pars illa ad successores: utroque verò tam Prælati quam Capituli delinquente, totum feudum ad dominum, mortuis autem delinquentibus, ad successores Prælati & Capituli rediret Arg. *cit. l. 2. tit. 40. & reg. jur. 76. in 6.* docent Alex. *loc. cit.* Rosenth. *c. 10. concl. 3.* Pirh. *loc. cit.* Reiffenst. *h. t. num. 158.* Tamen si enim ab initio feudum Ecclesiæ ita constitutum potuisset, ut delinquente Prælati unà cum Capitulo, feudum omnino amitteretur, id tamen nullibi in jure expressum, sed potius contrarium judicatum *cit. tit. 40. §. item.* ad hæc per se durum est, nimis rigidum & æquitati contrarium, Ecclesiam privari in perpetuum bonis suis feudalibus ob delictum personarum; cum bona hæc non tantum ad usum & commodum Prælati & Capituli, sed imprimis etiam ad cultum Dei, ministrorum perpetuam sustentationem, ad reparandam Ecclesiæ fabricam, ornatum altarium, & sustentationem pauperum sint donata; ideoque iniquum foret, si delictum administratorum in omnium prædictorum præjudicium redoundaret; ita Pirh. *l. c.* cum Abb. *in c. 1. de dolo & contum.* & Rosenth. *l. c.* De cætero feudum patrimoniale seu paternum & privatum, quod possidet Prælati aliusve clericus, is delinquentibus, amittitur, non secus ac feudum, quod habet laicus; cum in istiusmodi feudis æstimantur clerici ut laici Rosenth. *l. c. n. 1.* Laym. *in disc. de reb. Eccl. alien. thes. 95.* Pirh. *h. t. n. 13.*

Quest.

Quaest. 439. An & qualiter amittatur feudum ob non petitam debito tempore investituram, & qualiter caducitati renunciasset censetur dominus?

1. **R**esp. ad primum: Praeter plura de hoc dicta supra, hic breviter dicendum non amitti propterea feudum, nisi dolus vel culpa vassalli interveniat. Arg. l. 2. tit. 52. §. fin. qui dolus abfuisse videtur, si iusta causa & rationale impedimentum non petendi interveniret. V. g. si in loco, ubi dominus morabatur, pestis grassabatur, si ignorabat esse rem feudalem, aut dominum directum, vel etiam antecessorem in feudo esse mortuum &c. Ac proinde ad privationem feudi ob non petitam investituram requiritur probatio scientiae & contemptus, quod videlicet malitiosè & fraudulenter non sit omissa petitio investiturae. Gail. l. 2. obs. 48. n. 9.

2. Resp. ad secundum: Caducitatem hanc actu inducta Dominus censetur remississe, si sciens eum cecidisse feudo, recipiebat adhuc consueta servitia (nisi in receptione servitii fuerit protestatus, se ea recipere salvo jure caducitatis) secus, si id ignorabat. Clar. q. 63. Gratus conf. 2. n. 75. l. 1. Idem videtur, dum post caducitatem ob non solum canonem (si quis impositus feudo) recepit canonem, exemplo emphyteuseos; cum, quia caducitas illa non nisi in favorem domini inducta sit, non nisi eodem volente intrat. Ac proinde etiam, ubi caducitas feudi statuta purè in favorem domini, puta, ob ingratitudinem vassalli erga dominum, ob non petitam dolosè tempore debito investituram aliamvè causam, ob quam ab eo privari poterat feudo, actu incurfa non censetur ante declarationem domini volentis incurfam. Unde etiam, si dominus eam non declaravit, ejus successor nequit eam declarare. Paris. de resign. benef. p. 3. q. 3. num. 12.

Quaest. 440. An ob contractum matrimonium aut etiam ob perpeffionem censurarum amittantur feuda?

Resp. ad primum: Ob contractum matrimonium amitti feuda Ecclesiastica, nisi ex tolerantia Ecclesiae consuetudo obtinisset contrarium, ait Lotter. de re benef. l. 3. q. 26. n. 65. pro quo citat Jo. And. ad c. fin. de Cler. conjugat. sed si hæc feuda conferti possunt etiam laicis non obstante eorum statu matrimoniali; non videtur esse ratio, cur ea habita à Clericis (intellige non constitutis in sacris Ordinibus) post susceptum licitè ab iis matrimonium amittantur ab iis.

Resp. ad secundum: Ex perpeffione censurarum per annum inferri ad contemptum & privationem feudorum, habetur c. ult. de penis, quod ad summum intelligi credo de feudis Ecclesiasticis.

Quaest. 441. An jus privandi vassallum transeat ad hæredes domini & contra hæredes vassalli?

1. **R**esp. ad primum: Si dominus decessisset ante caducitatem à se declaratam, & antequam querelasset contra vassallum delinquentem in casu, in quo poterat illum privare feudo, jus privandi illum non transit ad hæredes domini Gl. in c. 1. §. 1. quib. mod. amitt. feud. v. concubnerit. Clar. §. feudum. q. 64. num. 1. citatis Ripa in l. fin. C. R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III,

de revocat. donat. n. 237. & Curtio Jun. qui dicunt communem & receptam. Ubi tamen caducitatem non declarasset, aut querelam non proposuisset, quia culpam vassalli non sciebat, utique jus privandi vassallum transit ad ejus hæredes, ut Clar. cum Belvis. De cætero procedit responsio, etiamsi culpa fuisset talis, pro qua vassallus ipso jure privatus fuisset feudo; eò quòd, dum sciens non querelavit, videatur remississe injuriam; adeoque sive ipso jure, sive per sententiam venisset privandus vassallus, noluerit transire ad hæredes. Clar. loc. cit. num. 2. cum Molinæ in consuetud. feud. Paris. §. 10. num. 127.

2. Resp. ad secundum: Si vassallus decessisset, antequam dominus declarasset caducitatem; & instituisset contra eum querelam, non posse eum instituere illam contra hæredes vassalli, & eos privare feudo, nisi delictum esset tale, ob quod vassallus privatur feudo ipso jure, vel ex dispositione legis, vel ex forma conventi in investitura, tradunt cum Baldo in c. imperialem. §. insuper. n. 7. de prohib. feud. alien. per Frideric. communis plerique, quibus se adhaerendum dicit Clar. q. 65. si delictum esset adeò notorium & inexcusabile, ut nullo modo negari posset aut defendi: secus verò, si egeret probatione aliqua, vel colore aliquo excusari posset, eò quòd in hoc casu feudum revocari ab hærede, qui non deliquit, ob delictum non notorium & non inexcusabile mortui, qui se defendere nequit, iniquum sit; ita probabiliter ille.

Quaest. 442. An quis possit sine causa feudo privari?

Resp. Negativè cum Cravet. de antiquit. temp. p. 1. sect. 1. num. 17. & Claro quaest. 69. dicentibus communem DD. eò quòd, cum vassallus sit dominus utilis feudi, Princeps, etiam Imperator, id ei sine causa auferre non potest; idque tantò magis, quod feudum sit contractus ultro citroque obligans; & juxta communes regulas Princeps ex contractu obligetur sicut privatus; nisi in concessione constitutum ad nutum revocabile, in quo casu non esset propriè feudum.

Quaest. 443. Finito feudo seu illo privato vassallo cui aperiatur, an domino directo, an agnatis?

1. **R**esp. primò: Dum morte vassalli finitur feudum concessum. V. g. ad quartam generationem, quia in eo deficit linea, dum is est ultimus, aperiari feudum domino est extra controversiam, ut Clarus quaest. 66. quamvis filios vel proximiores agnatos vassalli ultimò defuncti in hoc casu petere posse concedi sibi de novo feudum, & si id non concedatur, fieri illis injuriam, ac propterea eos appellare posse ad superiorem, ut is dominum directum ad hoc cogat, tradit Bart. in l. 1. §. permittitur. ff. de aqua quotid. §. ast. & hanc ejus doctrinam communem esse dicant Clarus quaest. 87. & quos citat, Ruin. conf. 12. à num. 18. l. 1. & Curt. Jun. de feudis in 2. part. princ. in 1. part. quaest. 15. dicit tamen Clar. se nunquam vidisse id in feudis (secus in emphyteusi) in practica servari, & fortè durum esse id impetrare. De cætero in casu, ubi ob delictum vassalli rediit ad Ecclesiam, potest Prælatum feudum apertum denuo conferre, non tantum extraneo, sed

sed etiam filio vel consanguineo vassalli delinquentis, non obstante delicto patris vel cognati, utpote quod non nocet filio vel consanguineo in feudo rursus acquirendo, sicut nocuit illis in perdendo illud. Pirh. *h. t. n. 10.* citans Abb. *in c. 2. h. t. n. 5.*

2. Resp. secundò: Dum finitur per renunciationem vassalli, nimirum factam cum consensu in præjudicium solius Domini, dum ea valet, utique aperitur domino; etsi autem feudum antiquum renunciatum in præjudicium agnatorum, quamdiu renunciatus vivit, neque domino, neque agnatis aperiretur, renunciante tamen mortuo, aperitur non domino, sed agnatis, ac si nunquam facta fuisset per vassallum ejus renuntiatio. Clar. *g. 34. n. 3. in fin.* De cætero feudum, quod valde & constantiter resignari potest alicui extraneo, nec domino nec agnatis aperitur mortuo resignante, sed manet penes resignarium. Vide dicta supra, ubi qualiter feudum per renunciationem alienari possit.

3. Resp. tertio: Dum delictum, ob quod vassallus privatur feudo, est tale, quò directè offenditur Dominus, feudum exclusis filiis & agnatis, aperitur domino; seu redit ad dominum; & in hoc indifferenter consentiunt omnes, si feudum est novum. Clar. *cit. g. 66. num. 1. & 2.* Si verò est feudum antiquum, exclusis quoque filiis & descendentes ipsius vassalli delinquentis, reverti illud ad Dominum, communem esse, teste Alex. *conf. 30. num. 4. l. 6.* dicit Clar. *loc. cit. num. 3.* Et quamvis de agnatis collateralibus, dum pro illis etiam concessum est feudum, id negent aliqui. Nihilominus tamen & in hoc casu, non aperiri feudum dictis agnatis, sed domino, tantquam communem & veram cum Grato *conf. 2. n. 19. l. 1.* Decio *conf. 44. n. 30* Gozadin. *conf. 84. num. 3.* Curt. Jun. & aliis astruit Clar. *cit. num. 3.* verùm magis in sensu horum AA. quam proprio; cum expresse addat, sibi tamen nunquam placuisse hanc opinionem; eò quò iniquum videatur, posse vassallum delinquendo excludere agnatos à feudo, iis virtute primæ investituræ debito absque aliquo eorum facto vel culpa, etsi ea fortè in practica obtineret propter dictorum AA. auctoritatem.

4. Resp. quartò: Dum vassallus privatur feudo ex alio delicto non concernente directè personam domini, aperitur feudum domino, si illud est novum; si verò antiquum, agnatis. Clar. *l. c. n. 5.* citatis Curt. Jun. *in p. 5. concl. 2. & 3.* Zaf. *de feud. p. 10. partic. 2. concl. 2.* Præposito & aliis. Non tamen aperiri omnibus agnatis indistinctè, sed exclusis filiis & omnibus descendentes, quin & transversalibus intra quartum gradum, tenet Belvis *in c. 1. §. Si vassallus culpam. si de feud. fuer. controrov.* & communem dicit Ruin. *conf. 23. n. 32. l. 5.* quam tamen opinionem iterum dicit Clarus, sibi semper visam duram, & supposito, quò sit vera, illam adhuc non procedere, nisi in feudo simpliciter recepto, quod aliqui informe vocant, v. g. concedo tibi hoc Castrum in feudum: secus verò, seu admitteudos omnes indistinctè agnatos, si feudum receptum à patre vel avo delinquentis pro se & liberis, ut docet Cynus *in l. 2. C. de liber.*

5. Resp. quintò: An, dum vassallus cadit à feudo, quia illud irrequisito domino alienavit, aperitur domino, an agnatis, valde variant AA. quorum ferè singuli dicunt suam opinionem esse communem vel approbatam, ut videre est apud Clar. *cit. g. 66. n. 7.* Aperiri in hoc casu domino, non filiis vel agnatis, tenet Aretin. *conf. 14. post. n. 11.* relatus à Socin. Jun.

conf. 77. n. 139. l. 1. Alii factum alienantis dicunt nocere filiis, non aliis agnatis, quam esse communem, ait Ruin. *conf. 214. n. 16. l. 1.* Alii volunt feudum novum reverti ad dominum, antiquum ad agnatos, ut Gl. *in c. 1. §. hoc quoque. de success. feud.* hanc distinctionem approbatam per omnes, dicit Curt. Jun. *in p. 5. concl. 4.* niti eam hac satis bona ratione, ait Clar. quò feudum novum, ex quacunque causa, etiam non concernente injuriam, privetur vassallus, aperiat domino exclusis descendentes & agnatis omnibus; pro quo etiam facit (à quo nullum dissentientem se invenisse dicit Curt. *l. c. concl. 2.*) quò de feudo novo disponere possit vassallus in præjudicium agnatorum; adeoque etiam delinquendo vel alienando poterit illis præjudicare: in feudo verò antiquo alienando aut delinquendo vassallus non possit præjudicare agnatis, ideoque illis & non domino aperiat; pro quo posteriore citat Clarus Zaf. *10. part. in 2. partic. vers. quarta concl.* Curt. Jun. *cit. concl. 4.* Ruin. *conf. 2. post. n. 2. l. 1.* Alex. *conf. 30. n. 17. in fin. l. 1.* Socin. Jun. *conf. 112. n. 2. l. 12.* dicente, hanc conclusionem, quò feudum antiquum alienatum per vassallum sine consensu domini non domino, sed filiis & agnatis, qui saltem post mortem alienantis illud possint recuperare, esse communem & verissimam. Habereque hæc ipsa locum non tantum, si alienatio facta per vassallum actu inter vivos, sed etiam si facta per viam legati, habet Clar. *cit. n. 7.* Quamvis subdat, se aliàs consuluisse, quò indistinctè ex quacunque culpa, sive alienationis, sive felonie, vel alias vassallus privetur feudo, semper illud aperiat domino, non filiis aut agnatis vassalli, si feudum sit tale, de quo possit vassallus libere disponere in præjudicium agnatorum; è contra feudum, de quo non potest disponere in præjudicium agnatorum, nunquam aperiri domino, sed agnatis, quibus jam extenore investituræ erat jus acquisitum: seque non videre rationem aliquam bonam differentie, cur, qui mihi non potest præjudicare alienando etiam cum consensu Domini, possit mihi præjudicare alienando sine ejus consensu, aliter delinquendo.

Quest. 444. Cui cedat proprietas feudi, dum eà privatur dominus ex culpa?

Resp. Etsi in hoc casu consolidatum dominium directum utili obvenire vassallo dicat Sylva *de feud. recognitione g. 32.* asserit tamen Clarus *loc. cit. g. 72.* se credere hanc opinionem non esse veram, neque servari in praxi; ideoque se tenuisse semper, applicari illud domino superiori, si quem habet dominus ille privatus proprietate. V. g. Cafari, nisi adsint agnati istius domini inferioris, ad quos in eo casu devolveretur illa proprietas. Si verò nec haberet dominum superiorem, neque agnatos, posse procedere opinionem illam priorem, nempe dominium directum consolidatum utili obvenire vassallo.

Quest. 445. Feudo finito, ad quem spectent melioramenta facta à vassallo?

1. Resp. primò: Feudo lapsu temporis, quo concessum, extincto vel generatione, ad quam usque concessum, emortua, aliave ratione, sine dolo tamen vel culpa vassalli, finito, melioramenta in re feudali facta industrià vassalli. V. g. domus constructa, remanent vassallo. Clar. *quest. 88. num. 1.* cum communi; ita tamen, ut in electione

electione domini sit, vel vasallo permittere, ut ædificium tollat, vel solvat æstimationem emolumentorum juxta expressum textum c. 1. §. si vasallus, tit. hic finitur lex. Spectando valorem, non quem habent materies & rudera ædificii, ut vult Berous q. 96. post. num. 4. vers. si feudum. dicens magis communem, sed quem habet ædificium consistens, ut vult Bald. in cit. §. si vasallus. n. 4. & in auth. excipitur. C. de bon. qua liber. post. n. 2. dicens sic servare consuetudinem, quem refert & sequitur Molinæ. consuetud. Paris. feud. §. 1. gl. 7. num. 98. quorum sententiam aequiorem judicat, & se eam secutum, ubi casus contingeret, dicit Clar. loc. cit. num. 2.

2. Resp. secundò: Incrementa contingentia in re feudali, dum sunt discreta. V. g. insula nata in flumine è regione fundi feudalis acquiri domino. Dum verò sunt latentia, puta, quæ per alluvionem accedunt in fundo feudali, spectare ad vasallum. Vult Ruin. cons. 7. num. 12. in fin. l. 1. cum Gl. in c. 1. §. si quis de manso. de controu. invest. v. reservaverit. verùm æquius, adeoque rectius sentire videtur Clar. loc. cit. num. 3. nimirum quòd, cum proprietas feudi sit domini, quidquid illi accedit sine industria vasalli, debere accrescere domi-

no, nisi ex tenore investituræ apparet contrarium, reservato interea, quò durat feudum, dominio utili partis illius accrescentis vasallo. Clar. loc. cit.

3. Resp. tertio: Servitutes aliæque jura, quæ vasallus in bonum feudi pretio acquisivit, finito feudo, inherere pergunt rei feudali, & unà cum ea transeunt ad dominum, & non ad hæredes vasalli. Clar. cit. q. 88. n. 4. cum Berou. loc. cit. n. 6. dicentes, in hoc convenire DD. omnes. An autem æstimationem talium servitutum Dominus restituere hæredibus teneatur, non dicunt; quod tamen æquum videtur, non secus ac aliorum melioramentorum inseparabilium à re emphyteutica redeunte ad dominum. E contra jurisdictio, quam vasallus castro sibi sine illa dato in feudum acquisivit, feudo hoc finito manet vasallo ejusve hæredibus, & non unà cum castro transit ad dominum directum castri; cum jurisdictio sit quid separatum à castro, & per se existens, ac potens exerceri; adeoque inseparabiliter castro non accrescit. Bald. in c. 1. §. contrario. num. 4. de investit. de re alien. facta. Ruin. cons. 14. post princ. l. 1. quorum sententiam tanquam communem sequitur Clar. loc. cit. num. 5.

TITULUS XXI.

De Pignoribus & aliis Cautionibus.

CAPUT PRIMUM.

De Natura & Divisione Pignoris, Rebusque, in quibus & Personis, à quibus constitui possit.

Quæst. 446. Pignus quotupliciter sumatur, & qualiter definitur?

I. **R**esp. ad primum: Præteritâ etymologiâ hujus nominis, quâ dicitur à pugno seu manu l. plebs. ff. de V. S. utpote minus conveniente, in Jure sumitur trifariam pignus. Primò objectivè pro re ipsa, quæ oppignoratur, seu in debiti securitatem constituitur & obligatur; de quo ejus sensu & acceptione constat totis titulis ff. & C. de distract. pignor. dum ibidem pignus idoneum, distractum restitutum dicitur. Secundò formaliter pro ipso jure, quòd creditor in re sibi pignori data habet. L. fin. C. si res alien. pign. l. 26. ff. de pignorat. act. & alibi passim. Tertio causaliter pro ipso pignorationis contractu, seu actu, ex quo dictum jus descendit, seu creditor in re oppignorata constituitur, hæcque ei pro securitate obligatur. L. 1. §. fin. ff. de pact. l. 1. §. 1. de pignorat. act. unde

2. Resp. ad secundum: Pignus in hoc posteriore sensu acceptum definiri potest, quòd sit actus, quo alteri constituitur in re aliqua jus eam sibi obligatam habendi pro securitate debiti. Dicitur primò: *Actus*: quod est loco generis, & quid latius patens, quam *contractus nominatus bona fidei*; quod aliàs loco generis statuit cum aliis Wiestn. b. t. n. 2. aut etiam quàm *conventio*; ut etiam comprehendat pignus publicum variasque ejus species, nullam conventionem aut contractum debitoris &

R. P. Leur, Jur. Can. Lib. III.

creditoris includentes. Dicitur secundò: *Jus in re* seu reale, utpote quod veluti onus reale rei ipsi à debitore impositum, eique inherens, cum re, ad quemcunque ea devenerit, transit. Dicitur tertio: *Ad securitatem debiti*: quòd est loco differentia, quâ distinguitur pignoratatio ab omnibus aliis actibus & conventionibus, quibus obligatio aliqua realis generatur seu contrahitur; item à *fidjussione & chirographo*, quæ etsi & ipsa quoque pro fine habeant securitatem illam, hæc tamen longè minor est, quàm ea, quæ à constitutione pignoris generatur, & ut finis illius intenditur, dum creditor ad consequendum debitum magis expediat & plus cautum sit per hoc, quod rem ipsam, cui incumbit, sibi obligatam habeat, quàm personam, etsi aliàs idoneam, ita etiam, ut, si persona deficiat, & debitum aliter consequi nequeat, re oppignorata sibi satisfacere possit, pro ut dicitur §. unde constat. Inst. de obligat. qua ex delict. & Reg. plus. 25. de Reg. Jur. Dicitur denique: *Ad securitatem debiti*: quia constitutio pignoris necessariò supponit debitum (intellige, proprium vel alienum; dum etiam ab alio, qui debitor non est, pignus pro alio constitui potest, ut ex dicendis constabit) cum vox *pignoris* arguat accessionem obligationis alicujus validæ ad præexistentem obligationem principalem, ita ut, si ab initio talis obligationis, nulla principalis adsit, pignoris obligatio subsistere nequeat, etsi etiam ea ex propria conventionione constituitur. Muller. ad Sern. in ff. de pignor. & hypoth. th. 3. cum Bachov. tr. de pignor. l. 2. c. 1. num. 1. juxta